# FEDERICI CARDINALIS BORROMÆI ARCHIEPISC. MEDIOLANI

# DE VERA, ET OCCVLTA SANCTITATE

*LIBRI TRES.*



MEDIOLANI,

Apud Ludouicum Montiam Typographum Ven. Coll. Ambrosiani.
*De Consensu Superiorum. M D C L.*



# FEDERICI
## CARDINALIS
### BORROMÆI
### ARCHIEPISC. MEDIOLANI
# DE VERA, ET OCCVLTA
## SANCTITATE
## LIBRI TRES.

MEDIOLANI.

Apud Ludouicum M[illegible] Ven. [illegible] Ambrosian.
De Consensu [illegible]. M D [illegible] L.



# LIBRI PRIMI
## CAPITA.



† De

# LIBRI SECVNDI CAPITA.

## LIBRI TERTII
### CAPITA.





# FEDERICI CARDINALIS BORROMÆI ARCHIEPISC. MEDIOLANI

# DE VERA, ET OCCVLTA SANCTITATE

## LIBER PRIMVS.

## DE SECRETI CVSTODIA.

### Caput I.



*DIVINÆ prouidentiæ ordo, tàm in creatis rebus, quàm in cœlestibus mysterijs semper fuisse videtur huiusmodi, vt ingentium operum, quæ moliretur, occultauerit arcana, idquè tàm in vetere testamento quàm nouis hisce Euangelij temporibus esse factitatum animaduertere possumus, itaut sa-*

*pientissimi Regis dictum diuina hac auctoritate com-*
Prou. 25. n. 2. *probetur*; Gloria Dei est cælare verbum.
*Nimirum Diuina sapientia maluisse videtur altitudinis suæ lucem, & splendorem patefacere, tenendo mortalium genus demersum ignorantiæ tenebris, quàm illud in ampla, & aperta spacia diuinarum cognitionum educendo. Atque hoc ipsum Diuinæ Maiestatis arcanum imitati pij homines, morem fermè illum habuere, vt summo silentio res sibi patefactas custodirent; idquè fore Deo ipsi gratum, & acceptum iudicauere tegentes ea, quæ mirabiliter ipsis accidissent. Laudanda sanè magnarum anima-*
Iudic. 14. n. 6. *rum consuetudo, & Sansonis illius magnitudini propè par, qui leone occiso, parentes de ea re suos*
Ibid. n. 8. *cælauit; quo silentio meritus fuisse videtur, vt reuisens posteà leonem interfectum, scaturiginem melis in faucibus eius reperiret. Neque minor silentij cu-*
1. Reg 10. n. 16. *stodia Sauli, qui cùm ad Regni primordia oleo inunctus fuisset, & super ea re nuncium accepisset, cum patre de rebus alijs exigui momenti collocutus, reticuit totum illud, quod ad Regnum pertinebat. Huius silentij religio, alijs quoque diuinarum litterarum comprobata testimonijs est; quæ testimonia in*
3. Reg. 8. n. 11. 12. *sacrarum litterarum monumentis extant. Nam cùm*
2. Paralip. 5. n. 14. *nebula Dei domum intexisset, Salomon affirmauit Populo, Sacerdotibusquè, qui eam viderant, prædictum esse sibi fore, vt nebulam eam ipse Deus in-*
3. Reg. 19. n. 13. *sideret. Elias etiam visionis initio stetisse fertur in tabernaculi limine, vultumquè suum operuisse pallio; quasi profiteretur, rem diuinam esse illam, ad quam*

*acce-*

*accederet, simul & ab ea refugeret. Illi quoque Gentis Hebraicæ Sapientes viri cùm se in Persas duci captiuos viderent, statuerunt, sacros ignes in ima valle, imoquè puteo esse occultandos, ne in hominum conspectu essent.* 2. Machab. 1. n. 19.

*Istud verò satis commune fuit hominibus Sanctis, vt vellent premi silentio, si quæ Diuina, & eximia munera sibi adessent, consciosque talium rerum magnoperè rogarent, ne efferrent illa in vulgus, priusquam ipsi migrassent ex hac vita. Sed Virginis Coletæ robur animi in eo, humilitatemque admirari in primis subit. Ea, sicuti Stephanus Iuliacus ipsius æqualis refert; cùm fortè resciuisset, Henricum quemdam Balmensem summæ sanctitatis virum, multa scripsisse de Cælestibus donis, quibus ipsa frueretur, omni ope contendit, vt Librum eum in potestate haberet; nactaque codicem cremauit. Ea res, idque factum quanta virtutis fuerit, potest quilibet apud se reputando, æstimare. Pari virtute Henricum Susonensem egisse legimus in eius vita. Cùm enim raræ sanctitatis Virgo, de viro illo sanctissimo pleraque scripsisset, primum grauissimè ipsam obiurgauit; deinde scripta illa mandauit flammis.* In eius Vita cap. 1.



DE

# DE TACITVRNITATE.

## Caput II.



*RBITROR alibi satis tractatum esse nobis, quas ob causas tantopere Deus taciturnitatem amet in eorum animis, quibus ipse cœlestia dona concesserit. Nunc ad ea, quæ alibi dicta sunt, hoc accedat, animaduerti singulare Dei consilium in occultandis illis, quibus admirabilia illa dona obtigerunt. Ecstaticas quidem mulieres animaduerto ego haud fermè sine miraculo diuinitus occultari, itaut nostra memoria fuerit aliquis, cui cùm in conspectu multorum acciderent talia, diuinitus simul varijs modis obtegerentur; poterantque qui cum eis versabantur verè de se dicere, oculos sibi esse sine visione, & aures absque auditu. Inter nostrarum virginum cœtus ante centesimum annum fuit Veronica nomine, quæ cùm Ecstatica esset, diùque vixisset in monasterio, semper a gregalibus suis ignorata est cum admirabili suo dono. Et in eiusdem Veronicæ vita manu scripta legitur, ipsi Veronicæ diuinitus fuisse demonstratum, quemadmodum magnæ sanctitatis anima quædam alia fuisset, quam non multitudo modo reliqua, sed ipsius quoque domestici, & propinqui minimè cognoscentes, contemnerent, atque insectarentur. Estque in reuelationis fine ibi sic dicens Deus; Nunc verò mortuam omnes lugent, quasi*

*dicere voluisset; serò sapere potuerunt. Quod si quis requireret, quam nam ob causam ea fiant, poterit huic aptè responderi; fieri vt Opera diuina impleantur ad eum finem, quem ea spectabant. Nam si cara Deo capita noscerent homines, haberent ea in delicijs, & amoribus; neque molestiarum, atque persecutionum merita consequerentur. Sed alia quædam huius generis propria tractare deinceps aggredimur.*

Veritas nostri spiritus.

## IN QVO POSITA SIT OCCVLTA veritas nostri spiritus

### Caput III.

*IN huius Libri serie ità progrediemur, vt naturæ res interdum, aliquando Gratiæ, sæpe vtriusque opera simul spectemus. Spectabimus item extrinseca quædam, & alia intima nostri animi, & rursus alia, quæ nos ipsos, quæ proximos, quæue res externas attingunt. Primum omnium de sanctitate ipsa generatim agemus, quam occultam, & minimè alijs notam appellamus. Eius deinde differentias complectemur, & Tertio loco tractabimus, si quæ proprietates, & effectus, siue accidentia reliqua erunt. Primum omnium igitur hoc dico, maxima, summaque ratione priscos illos, quorum ingenij summa vis fuit, eruditionis absolutæ imaginem fetisse quadrato saxo insidentem, quo nimirum commento declarare voluerunt, tutam esse viam, quia ferret illuc, &*

Tabula Cebetis in tertio Septo.

Eruditionis absolutæ imago.

B pre-

*preciosa dona proposita esse id calcantibus iter. Ad eum planè modum dicimus, magnoperè lætandum fore illis, quibus concessum erit, vt spiritum hunc assequi diuinum possint, eosque in hoc rerum humanarum pelago tranquillè nauigaturos, quoad scilicet humanæ debilitati licitum est, insidiatrices atque aduersas huius vitæ vndas perscindere, ac sulcare.*

Veritas nostri spiritus.

*Veritatem autem nostri spiritus spectabimus ex proprietatibus, & operationum conditione, quæ cum ea coniunctæ solent esse. Operationes porrò illæ aut à natura manant, aut ex Gratia veniunt, aut Dæmonum arte constant. Quæ manant ex natura, semper inferiores erunt illis, quæ manant ex Gratia. Et quamuis prauæ non sint, non sunt tamen perfectæ, licet perfectionis notam, atque imaginem præseferant interdum. Itaque propriè non possumus affirmare aliquam fuisse absolutam virtutis perfectionem in Philosophorum vita; virtutemque eam, quæ moralis dicitur, nemo vnquam sola naturæ vi perfectè consequetur. Dæmones autem ipsi, cùm ad malè agendum animos nostros impellunt, atque instigant, fatentur inimicos se esse nostræ sanctitati. Rursus cùm eorum instinctu vocamur ad aliquid rectè, atque laudabiliter agendum, non perinde se se inimicos ostendunt; sed neque diù perseuerabunt in eo instinctu; neque rem ipsam suscipient, nisi vt aliqua boni specie nos inextricabilibus laqueis irretiant. Inde fit, vt ea, quæ Dæmones rectè persuasere, aut mox euanescant, aut non rectum aliquem finem spectent. Unius Dei est, sanctitatem dare mortalibus; sanctitatisque nemine,*

*mine, non solum habitualem Gratiam hic designamus, possessionemue cælestium donorum, vel tum Gratia simul mediocrem aliquam virtutem, sed intelligimus Christianæ perfectionis absolutionem cum operibus iis, & adiunctis rebus, quæ possent admirabiles esse mundo, nisi decretum esset diuino nutu, vt in occulto maneret. Hæc autem occultatio perfectionum, rerumque maximarum non est penes omnes mortales; sed se ipsam occultat imperitis tantummodo, & à cæco vulgo ignoratur, & ad instar solis, ex obiectis nubibus effulget. Ac sicuti diuturni imbres, & nubila serenum sæpe cælum denunciant, ita talium virorum obscuritates, & tenebræ pura mox, & lucidissima serenitate compensantur, vbi vitæ finis venit. Interdum tamen etiam ea perfectio sic latet, & obscuratur, vt, sicuti deinceps apparebit, ab hominum conspectu, & memoria procul ablegata, & exul esse videatur.*



## AN NATVRÆ FRAVDES in hoc negotio sint Dæmonum fraude maiores.

### Caput IV.



*MITTO nunc alios euentus, aliasue disputationes; in hoc solùm negotio dico simpliciter, ità contingere nonnunquam, vt aliqui meliores videantur, quàm re vera sunt, naturæ fallacia, & rursus Dæmonum arte, & auxilio. Magna vtrinque oriuntur, sed hæc ne, an illa sint maiora, dubitandum videtur. Mihi sanè naturæ fraudes plus habere discriminis videntur, quippe cum eæ Gratiam imitentur magis, quàm Dæmonum artificia, & fraudes; & quò maior similitudo est, eò procliuior est ad fraudem via; causæque naturales omni Dæmonum arte esse constantiores solent. Præterea, sicuti res admotæ sensibus impediunt eorum facultatem, & vsum, ita naturæ vis intima nobis, ac fermè indiuidua nostræ menti, summum afferre damnum potest. Est etiam insitus nobis appetitus adeò amicus nobiliorum animi nostri facultatum, vt minùs inde suspectemus insidias, quàm ab ipso Dæmone, qui humani generis hostis infensissimus habetur. Quinimò Dæmones ipsi cùm lædunt, natura plerunque vtuntur illius, cuius vires optimè nouerunt, tanquam efficaciore instrumento ad victoriam reportandam. Hanc ob causam mirè admodum ab eloquentiæ Parente pronunciatum fuit;* Quam blanda conciliatrix, & quasi sit sui lena natura. PLV-

Lib. 1. de Nat. Deor.

## PLVRES NE SINT NOTI, an occulti Sancti.

### Caput V.



*INIME festinanter in hoc Capite decernendo pronunciandum est. Accidit namque in recensendo Sanctorum numero id ferè, quod accideret recensentibus medicas herbas, & poma, pecudesue, & pisces, & aues, aut illas demum tot stellarum oculos. Nam si quis aliquem interrogaret, quantum esse numerum cuiusque generis censeret, diceret ille quidem infinitum esse, sed postea re ad calculos reuocata, non perinde reperiretur infinita. Ita sanè, licet magnus numerus Sanctorum sit, quos nouit fama, minime tamen est tantus, quantum aliqui arbitrantur; atque ideò affirmare licet, numerum eorum, quos fama non nouit, esse multò, & quasi sine comparatione maiorem. Iam primùm Hebraicæ legis temporibus, qui noti sanctè vixerint, admodum pauci fuere, si cum illis conferantur, qui ad nostræ ætatis notitiam non peruenere; ac superueniente postea Christianæ legis insectatione, agmina propemodum innumerabilia occisorum Sanctorum fuere;* [Christianorũ occisio.] *Quòd si Cæsari verecundiæ fuit recenseri numerum eorum,* [Cæsaris pudor.] *quos ipse per bella ciuilia occidisset, quippe enormem, & infamem, vt vnius hominis superbiæ satisfieret, multò magis pudere oportuit alios Romanos Imperatores, qui absque vlla causa, tantam stragem hominum*

*num fecere. Quantus autem fuerit occisorum numerus, vel ex eo potest intelligi; quod vulgò Christiani, Semaxei nominabantur, quasi non pluris, quàm quadrantis vnius precio vita illorum æstimaretur. Sarmenticij quoque appellabantur, quia minimam ob causam vincti ad palum, lignis, & sirmentis passim per viam collectis, publicè comburebantur. Horum item Sanctorum corpora, tanquam faces, & nocturna lumina interdum ardebant, si quidem Taciti verba respiciamus;* Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio eorum multitudo ingens: haud perinde in crimine incendij, quam odio humani generis conuicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi: atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. *Quam in sententiam non absimilis Tertulliani locus extat, demonstrans Christianorum corpora tunc viliore precio fuisse, quàm minima quæque, & vilissima haberentur; atque non tam in pœnæ locum, quàm ad ludibrij libidinem in Christianos solitum fuisse desæuiri, vsque ad necem;* Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. *Ad has calamitates Christiani nominis acerbissima illa accessit, cùm Diocletianus Imperator omnia Christianorum monumenta flammis absumi mandauit; quo incendio memoria Martyrum innumerabilium periere; singulis enim*

Tertull. in Apolog. cap. vltimo.

Lib. 15. c. 44.

In Apolog.

Diocletiani Imperatoris edictum.

*Eccle-*

*Ecclesiis destinati erant Scribæ, qui Sanctorum gesta monumentis consignabant. Romæ etiam Clemens primus, septem Scribas instituit, qui diuisa in totidem regiones ciuitate, Martyrum casus litteris custodirent. Post tempestatis huius transitum, & renouata Ecclesiæ pace, migrauere in solitudines cateruæ Sanctorum, tanquam primæuæ illius ætatis mos rediret, cùm nemora, & campi gratissima mortalibus sedes essent; solusque ille cibus haberetur gratus, quem nemora subministrarent. In eo numero fuit Anachoretarum genus notis, ignotisque pariter obscurum; proinde si relicta iam terra, in Cœlum migrassent.*

Monacorum apud Orientem vita.

*Atque est sane dolendum, quòd apud Orientem Monachi reperiantur, & Anachoretæ, discordes quidem ab Ecclesia Catholica, vitam tamen asperrimam degentes. In monte Athos, quem vulgò Sanctum dicunt, habitant assiduè fugientes humanum adspectum nonnulli hirti homines, & propè syluestres. Tales multos habuere tempora Constantini, & vtriusque Theodosij; ac de illis dici posset id, quod de Dauide Saulis insidias vitante, dictum fuit;* Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt. *Itaque verum est illud,* sæpe summa ingenia in occulto latere. *Atque æquiparari possent ijs, de quibus dictum olim fuit,*

1.Reg.24.n.3.

Plautus in Captiuis Actu. 1. Scena. 2.

Horat. lib. 4. Car.Od.5.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

## DE PERVERSITATE, & bonitate Naturæ.

### Caput VI.



Euripides in Phœn. Stob. ser. 98.

ON iam ego dicam id, quod grauissimi Scriptores affirmauere; naturæ vim esse tantam, vt cum ea dimicare superuacaneum sit, & absurdum; valere nihil educationem; neque Dæmonem esse alium, quàm rectum, prauumque hominis ingenium, sicut aliquis dixit; naturamque qualibet educatione, & disciplina esse validiorem. Non sunt hæc dicenda; sed illud quidem dici potest; esse quosdam ità praue à natura dispositos, & male affectos ergà virtutem, vt ferarum, siue furiarum socios eos appellare possimus. Iracundi homines, dediti libidinibus quantum deditus esse quisquam possit, pollent ità viribus corporis, & ingenio, vt omnes malefaciendi vias noscant, & aggrediantur; neque ignoranter, sed consultò peccant. Atque cùm violentissimè ferantur ad ea, quæ concupiscunt, neque temporis spacio, neque cuiusquam exhortatione, monitisue coerceri vnquam possunt, sed obstinatè inchoatum iter sequuntur. Hi quidem interdum resipiscere videntur, sed mox ad priora relapsi, velut febri quadam, æstuque vitiorum conflictantur. In hoc hominum genere diuina bonitas mirificè spectari, & agnosci potest. Vixit ætate nostra flagitiosissimus homo, alioquì magni nominis, & famæ, coopertus omnibus vitijs, cuius

Stob. orat. 37. Menander Monost.

Iracundi homines.

Homo flagitiosissimus.

ani-

*animum interdum diuinus afflatus mouebat, eoque durante afflatu, per aliquot dies; nouis imbutus moribus videbatur; piè, sanctèque loquebatur, & summo quodam animi ardore totus in præclaris operibus erat; mirificaque de se promittebat; sed statim ad suos mores idem redibat. Sancta huic innocensque obtigerat vxor, quæ mariti mores obseruans, quasi per iocum hæc aiebat; conficior ego, & crucior omnibus horis æternæ salutis causa; & ecce maritus hic meus; postquam omnia commoda, voluptatesque perceperit, fortasse morietur inter motus illos suos, adspirationesque diuinas, ac perinde saluus erit; atque ego misera, cui nunquam horam vnam pacis ille concessit. Sed quid postea factum est? Moritur violentus, atque perfractus ille nullo argumento, ex quo de salute eius benè sperare liceret. Alius etiam propè consenuerat in eo flagio, vt Deo, Sanctisque malediceret, idque flagitium ipse agnoscebat, & petebat enixè ab amicis, vt eius vitij deformitatem nouis argumentis coarguerent, quo magis ipse abstineret, idquè in conspectu etiam multorum fieri volebat. Hic tamen an aliquando resipuerit, est ignoratum. Alius quidam adhuc aleæ deditus adeò est, vt inter ludos propè alienetur à sensibus, ác propè ecstaticus cernatur. Quidam etiam aiebat, veluti catena se se trahi in aleatorum greges; aliusque in simili nequitia tantoperè perturbabatur animo, vt qui coram aderant, Dæmonis se faciem intueri quodammodo putarent. Atque perturbationum animi tanta violentia est, vt religiosus homo nuper, cùm in Fratrum conspectu, Præfe-*

Feminæ dictum.

Homo aleæ deditus.

D ctus

*ctus Ordinis eum ob admissam fortè culpam obiurgaret, rupta introrsus vena, cunctis inspectantibus, eiecerit sanguinem, idque præ contentione animi, qua vim sibi intulerat, vt dedecus, ignominiamque illam voraret. Fuit etiam adeò perditis, tartareisque moribus aliquis, vt grauissima in Superos conuicia (quod meminisse horret animus) fidibus, & cantu funderet. Fuit, qui doceret impia verba puerulum, nondum articulata voce loquentem. Et præ furandi dulcedine, quispiam aiebat, spem sibi esse, cùm decessisset etiam, rapiendi terram, vestemque eorum, qui secum sepulti essent. Horum hominum aliud est genus, eorum nimirum, qui naturalibus donis ferè carent; quique propiùs ad brutorum naturam accedunt; ac re vera rationis expertes videntur, absque vlla quasi Gratia cælesti, ac diuina, quæ conspiciatur. Et licet Gratia sufficiens nunquam desit; nihil tamen in eos ferè possunt vehementes Dei afflatus, virtutis studium, diuini Numinis metus, recordatio suppliciorum, quæ post mortem veniunt, quæ ve leges minantur. Alijs non ita pestiferæ sunt hæ propensiones animi; idque fit in timentibus quidem Deum, sed indomitæ naturæ hominibus, qui sensus suos, velut effrenes equos, rationis vinculo cohibere non possunt. Haud ità pridem mortuus est religiosus homo, amicusque contemplationi, & seueritati, quem subinde vexabat flagrantissima cupido mutandi subinde monasterium, ac de ea re sæpè Superiores appellabat; cùmque facultas ei non fieret, nocturnus abibat quò destinasset; ibique vltrò sese in carcere custodiendum*

Monaci cupido.

*dabat,*

*dabat, atque petebat ab eius monasterij Præfectis, vt sibi iustas pœnas iniungerent. Huic solitario homini, & vago similis fuit ille, qui cùm moribus alioqui innocentissimis esset, præceps ad iracundiam ferebatur magno suo dolore, itaut quotiescunque egrederetur ex cubiculo, statueret omnino non irasci, sed statim vbi prodierat, ita corripiebatur ira, vt sibi, & alijs valde molesta res esset. Contrariè affecti quidam reperiuntur, qui procul abesse videntur ab omni labe vitiorum, sicuti de magno Machario Ægyptio refert Palladius, qui græco nomine dictus est in puerili ætate senex, propterea quòd à teneris annis virtutes eas consecutus esset, quas temporum illorum senes assequi non potuissent. Inter duo hæc extrema, medium quoddam esse genus videtur eorum, qui mediocribus culpis, vitijsque leuissimis laborant, quæ quia Deus ab eorum animis mox non amoueat, consuli ea possunt, quæ scripta reliquit Diuus Gregorius in Libro tertio Dialogorum, Capite decimo quarto. Hos conferre poterimus similitudine quadam cum Sansone illo, qui cùm stragem hostium incredibilem dedisset, propè fuit, vt siti perimeretur, quia paruulas aquæ guttas non haberet, tantæque fuerunt illius viri propter eam rem angustiæ, quantæ significatæ sunt hisce verbis;* Sitiensque valde clamauit ad Dominum, & ait; Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam: & en siti morior, incidamque in manus incircuncisorum.

Iracundus homo.

Macharij virtus.

In Hist. Sanct. Patr. sect. 17.

Iudic. 15. vers. 18.

QVID

## QVID DEBEAT EXISTIMARI, & credi de varijs naturæ propensionibus.

### Caput VII.



*NCIPIAM hoc tradere consilium, quia existimo, vtilissimum esse, atque fructuosissimum, vt nimirum de nullo temerè statuamus; neque Dei munus in iudicando vsurpemus, qui arcanorum talium solus voluit esse iudex; neque ob vlla cuiusquam vitia, quæ palam videantur, aut lateant in occulto, contemni, aut derideri quemquam oportet. Refert Diuus Gregorius, Totilam Regem contemptui habuisse Cassium Episcopum Narniensem, propterea quòd rubra semper facie esset, atque ob eum contemptum armiger Regis spiritu prauo correptus, summis petijt à Sancto Pastore precibus, vt liberaretur; nec irritæ illius preces. Quis non crederet, Totilæ minùs, quàm cuilibet alij voluisse Deum id præbere miraculum; cùm sceleratissimus omnium esset; cùmque fortasse etiam illa irrisionis culpa minima esset flagitiorum eius? Præterea scire oportet inter difficillima negotia, maximè illud anceps esse, si quis diuinæ etiam scientiæ præceptis imbutus, velit humano ingenio iudicium afferre de aliena sanctitate, & prauitate, etiam si tale iudicium afferre officij sui partes postularent. Nam si alia in re minimè fidendum est sensuum iudicio, solique rationi magis diuinæ,*

Lib. 3. Dialog. cap. 7.

Totilas Rex.

QVID ... *næ,*

*næ, quàm humanæ standum, id in hoc iudicio præcipuè fieri oportet. Ea porrò diuina ratio, sicut alibi tractasse videor, docet magnitudine perturbationis non semper augeri peccatum; nam si nascitur ex habitu magnitudo culpæ, culpa ipsa fit maior; sed si nascitur ex facultatibus naturæ per se consideratis, non auget malitiam nostram, sed minuit. Verùm hæc mea fortasse oratio peccatoribus argumentum esse poterit leuioris apud Deum supplicij, veniaque parata. His respondetur, siue leuior culpa, vel grauior fuerit, non propterea pœnam apud inferos effugient commissorum scelerum, dummodo ipsi non resipiscant; siue asperiora futura sint supplicia, siue minùs aspera. Quòd autem homines illi flagitiosi, de quibus anteà dicebam, subinde resipiscere viderentur, id quidem perturbationis vehementiam arguebat, quæ ad Euripi instar, marisquè fluctuantis mouebatur. In quibus perturbationibus animaduerti debet efficacia diuinæ gratiæ, & quasi pugna, quam ipsa suscipit cum natura, totquè annorum spacio munus suum vrget, vt nos ad finem nostrum perducat. Sed si id ita se habet, cur interdum peccatores moriuntur absque vlla cœlestium eorum donorum parte, quibus interdùm cùm viuerent, illuminabantur? Huic postulato respondetur, diuinæ Gratiæ partem sufficientem, & idoneam nunquam deesse, sed fieri posse, vt efficax gratia desit; sicuti quantum animaduerti potuit, defuit illi magnæ conditionis viro. At ex diuerso, quia non semper id perpetua lege contingit, minimè defuit Monacho illi, qui mutabat subinde monasterium, perseuerauitque*

Peccatorum supplicia.

*uitque nihilominus ille ad finem vsque, peccatum suum expiando, quibuscunque modis posset. Illud quoque certò tenendum est, vbi naturæ munera manca sint, & debilia, ibi culpam esse leuiorem. Propterea in hac re discrimen illud inter Angelum, & hominem pariter notatur, statutumque est, peccatum Angeli fuisse grauius, quia summa cum intelligentia fuit, & absque fomite. Iam quis intelligere poterit hasce proportiones, atque dimensiones gratiæ diuinæ, certumque de maiori, aut minori perfectione iudicium explicare? Non enim peruia sensibus nostris sunt hæc arcana Gratiæ, vel naturæ; peccantque mortales alij magis, alij minùs; ac fortasse ignota nobis hæc initia, & instrumenta, maximarum rerum exitus habent eos, quos postea tantoperè admiramur. Atque hæc ipsa consideratio videtur mihi permouere posse animos eorum, qui præsunt Populis, vt mansuetudinis plus, quàm seueritatis adhibere velint. Non enim tenent ipsi lances, quibus aliorum examinare animi perturbationũ grauitatem possint. Atque etiam ob eandem causam admirabilia sunt iudicia Dei, summaque ipsius æquitas, hæc omnia subtiliter videns, intuensque discrimina prorsus ignota mentibus humanis. Vt autem de timentibus Deum, & quibusdam eorum culpis aliquid dicamus, haud dubiè maiores culpæ videntur externa specie, quàm re vera sunt, sicut ex diuerso prauorum hominum culpæ sunt re vera maiores, quàm externa illa species præsefe-rat, atque demonstret, sicut etiam in plerisque pestiferis morbis accidere videmus. Verum tamen est, in*

Discrimen inter hominẽ, & Angelum.

*iusto-*

*iustorum vita, animisque sæpe reperiri quasdam eiusmodi conditiones, quas appellare morborum, & vitiorum nomine possimus. Viriq; sapientes animaduertere hoc, & tradidere, maxima plerunque dona quasdam infelices conditiones habere coniunctas, eorumque magnitudinem veluti pondere quodam contrariarum rerum deprimi, atque deijci. Id autem fieri propter eam maximè causam existimamus, vt reprimatur cupiditas eorum, qui sine vlla eiusmodi molestia, magna sibi dona, magnumque cœlestis gratiæ cumulum sibi exposcerent; atque credo ego causam quoque fuisse eandem, cur Deus tàm profanis, quàm sacris magistratibus voluerit adiunctas esse molestias, & incommoditates, vt illius opportunæ, & ægræ cupiditatis medicamenta essent. Atque vt solatij partem turbatis mentibus afferamus, summasque contemplantium angustias aliqua ex parte dilatemus, dicimus placuisse Deo, vt incommoditates eiusmodi, & vitia adiuncta essent etiam rebus illis creatis, quæ alioqui maxima perfectione, & nobilitate prædita essent. Sol interdum obscuratur subeuntibus nebulis; neque Luna tenorem eundem seruat vnquàm, viuitque, & moritur alternis vicibus; & mare turbatur ventorum impetu, cogitur in nebulas aer, & terra gelu concrescit; tardus motus elefantum; leoni mugitus in febri; balænæ oculorum acies propè nulla; delphinusque velocissimus aquatilium, ob fauces mancas hebes est ad prædam pisciculorum. Reliquum est, vt explicemus quidnam sentire oporteat de Dei seruis illis, in quorum vita nihil deprauati, ac turbidi, sed perfecta, & absolu-*

*soluta omnia reperiuntur, quibusquè adempta est omnis propè cura coercendi perturbationes animi, quas arbitrio ferè suo domitas habent. Hos sanè appellare felices, atque ter beatos licet, debeturque honos illis: Fieri tamen poterit etiam, vt eorum aliqui non perinde sint accepti Deo, quàm alij quidam, qui in perpetua dimicatione obstinatè versantur, primoque adspectu minùs fortasse perfecti existimantur.*

Solitarij silentium.

*Vidi ego superioribus annis solitarium aliquem, qui ad finem vsque vitæ procul egerat ab omni hominum commercio, silentiumquè perpetuum in illa sua solitudine custodierat. Huius ego silentium cùm forte exorassem, obtinuissemque ab eo, vt mecum consociare sermonem vellet, dixit se in ea solitudine inclusum à Deo teneri, quomodo mancipia compedibus, aut feræ inclusæ septis tenentur, ne aufugiant, aut noceant. Id ab illo homine verè fuisse dictum existimaui; erat enim asperrimi moris homo; ac fortasse ità affectus, vt neque ipse diutiùs alios, nec alij ipsum tolerare potuissent. Hæc ingenia vbi se se ad Dei cultum contulere, magni facienda sunt, sicut etiam mirifica quædam spectantur; vbi ad Artium, & Scientiarum studia se se iidem contulere; temperamentum enim idem illud, quod ad vitia incitamento est, potest etiã ad virtutem esse adiumento, sicuti alibi diximus.*

Mansueti, & lenes.

*Mansueti contrà, & lenes, & quieti illi, de quibus anteà dicebamus, si sint iidem animo debili, & fracto, vitijsquè facile succumbant, magnoperè vituperandi sunt; neque diuinæ Iustitiæ telum effugient, quia cùm possent sequi virtutem, vitia præoptauere; &*

quasi

*quasi se ipsos peccare coegerunt, nulla vnquam aduersus carnem suscepta pugna, nullaue necessitate pugnandi; cumque suscipienda pugna erat, & ad certamen veniendum, cessabant arma, seque victos vltro dabant. Horum salus in ancipiti versatur, quia non agnoscunt periculum, alteriusque vitæ rebus animum minimè aduertunt; beneque secum actum putant, si honos ipsis habeatur, atque in hominum luce cum dignitate viuant, proculque absint à magnis sceleribus.*

## DE INGENIORVM differentia, & cœlestium donorum diuersitate.

### Caput VIII.



*ARIÆ naturales animi propensiones, variaque item cœlestia dona hoc attulere, vt interdum, non tàm explorate perfectio, summaque aliquorum virtus cognosci ab omnibus posset. Nam ferè aliorum famam obscurauere alij; communisque opinio in dubium adducta est, & impedimenta etiam obiecta sunt magnis operibus, præclaris, & laudabilibus. Neque tamen alterutri magnopere accusandi esse videntur, quippecum etiam Angelici spiritus, quibus firmatum, ac stabile esset gratiæ munus, inter sese dimicauere; hominesque ipsi citrà graue crimen cum ipso interdum Numine contenderunt; Sic Moses legationem recusare, varia excusando non dubitauit;*

Daniel. 10. n. 13.
Iud. 1. n. 9.
Exod. 3. 11.

Ionæ 4. 2. *Ionásque ille diuinæ misericordiæ magis, quàm iustitiæ metu; Dei faciem vitare est conatus; & inter alios homines fama inclytos, magnæ sæpè dissensiones extiterunt; vt inter Gregorium Nazianzenum, & Basilium, quamuis amicæ illæ contentiones essent. Acerbiùs aliquantò cum Diuo Augustino Diuus Hieronymus contendit, & cùm Epiphanio Chrysostomus; Quæ controuersiæ sæpe calumniæ locum aperuere in* In Hist. Sanct. Patr. c. 125. *sanctos viros, itaut non dubitauerit Palladius inuidum appellare Hieronymum, eiusque culpâ factum esse, ne Paula Romana summam perfectionem assequeretur;* Lib. 13. Hist. Eccl. c. 14. *eam ab illo Doctore priuatæ vtilitatis causa fuisse à recta suscepta via abductam. Ipsum verò Chrysostomum ait Nicephorus ob magnæ constantiæ inuidiam ab aduersarijs appellatum esse contumacem, præfra-* Lib. 13. Hist. Eccl. c. 3. *ctum, atque impium. Neque dubitauit idem Nicephorus amicus alioqui, dedituśque Chrysostomo, dicere, ipsum fuisse natura propensum ad alios coarguendos, refertque, accusatum illum fuisse de ipsius ira,* Socrates Eccles. Histor. lib. 6. c. 3. *& odio, & furibundi nomine appellatum. Refert item Socrates, communem de eo fuisse famam, tamquam de iracundo homine, & immodicæ in loquendo libertatis, vt paulò insolentior haberetur apud eos,* Lib. 13. Hist. Eccl. c. 9. *quibus ignotus esset. Idem porrò Nicephorus in sermone de concionatoribus eximijs, quosdam eorum inter se fuisse non amicissimos ait. Iam igitur has dissensiones, & animi motus in probis hominibus vnde nam fuisse ortos dicemus? Oriebantur vtique omnes ab honestis causis, sed inter se diuersis, ac sæpe contrarijs; quod ipsum sacrarum litterarum authoritate*

compro-

*comprobari potest. Inimici legis pugnabant in Machabæos, eorumque aliqui, ne sabbati diei religionem violarent, sese mactandos præbuere. Quod secum reputans Mathathias, collegit superstites, atque ità locutus est; si fratrum nostrorum factum imitamur, interficientur omnes; expeditque mutari consilium, & imminente necessitate, sabbatis quoque diebus pugnare. In Euangelio autem, & in noua lege narratur apud Ioannem, Martam audiuisse quemadmodum Christus venisset, ei statim obuiam prodijsse, cùm Maria non idem fecerit, sed manserit domi sedens, & expectans, donec euocaretur. Etiam Petrus post resurrectionem Saluatoris, cum audiuisset ex ore Ioannis, quòd ille, qui loquebatur, & stabat in littore, Christus esset, abrepta tunica in mare se se deiecit, id quod alij non fecerunt, sed accessere ad ipsum naui portantes retia, & pisces, quos captos habebant. Rationes autem horum tam variorum spirituum diuersissimæ sunt, vti diximus; quæ tamen omnes ad vnam deducuntur, vt nimirum æterni Numinis voluntas fiat. At tunc diuersæ sunt ad eum finem viæ, tùm ob naturas varias, tùm ob occasiones, & instinctus, & necessitates ipsas. Imò videor animaduertere, non posse id aliter fieri, cùm manifestum sit, velle Deum exigere ab hominibus varia, & diuersa, quæ fieri non possint, nisi varijs humanis instrumentis; neque poterunt instrumenta esse diuersa, nisi plerasque diuersitates inter se habuerint. In quam sententiam aiebat grauissimus olim concionator, opus esse Christo in vineæ suæ, id est Ecclesiæ cultura non solùm palis, sed*

*salicibus,*

1. Machab. 2. n. 40.

Cap. 11. n. 20. & 28.

Ioan. 21. n. 8. & 9.

Grauissimi viri dictum.

*salicibus, & virgultis etiam, non tàm ad sustinenda, quàm ad coniungenda, atque nectenda ea, quæ robustiora sunt. Sed illud etiam addamus, nasci flores, & reliqua omnia, quæ tellus gignit, vno calore, vniusque radijs omnia produci, & ali. Idem porrò in nobis efficit Gratia; vni colorem, alterum alteri, faciesque diuersas impertitur. Cur igitur velimus nos vnum esse colorem omnium, vnamque formam? Id considerent illi præsertim, qui moderantur, ac regunt alios, quiue virtutes sibi ad imitandum alienas proposuerunt. Itaque voluntatum concordium similitudo propria cæli est, non autem terræ huius afflictæ semper, & vacillantis. Et quoniam de Chrysostomo, & Basilio, & Nazianzeno loquuti sumus, narrabo id, quod in Græcorum monumentis scriptum reperitur. Postquam Pontifices illi periere, exorta est quædam dissensio, & pugna inter Orientales homines, qui nam maior fuisset, Chrysostomus ne; an Basilius, an vero Gregorius; atque interdum magna inimicitia, turbæque ab eam rem in disputationibus oriebantur. Quamobrem placuit Deo patefacere Ioanni Patriarchæ, non placere sibi contentiones eas, & sanctos, de quibus contenderent, in cælo pares, & vnos esse.*

DE

## DE TEMPORIBVS, & occasionibus.

### Caput IX.

*ET quoniam propensio naturalis non solùm vim suam habet ad opera, vel recta, vel praua; sed etiam ad extrinseca; quæ continentur occasionibus; temporumquè momentis, ideò maximè fieri debet ea sanctimonia, cui temporis conditiones, & status, in quo quisque viuat, aduersantur. Hinc tanta tributa laus est infantibus illis; qui Angelorum potius, quàm mortalium instar, in regia Babylonica viuentes, damnatos cibos repudiauere, nè contaminarentur. Etiam inter Iobi mirifica multa, valdè illud admirandum est; quòd in terra Hus tantæ sanctimoniæ vir exiterit, sicuti à Diuo Gregorio animaduersum est. Etiam illud admirabile videri debet, quòd Moses in Pharaonis domo nutritus, minimè assueuerit idolorum cultui; mirum quoque est ob eandem caussam, quòd Magnus Constantinus in tyrannorum conuictu, tam altè, atque tàm generosè sapere potuerit. Atque in hoc magna certè occasio timoris est Sacerdotibus, & illis omnibus, quicumque religiosam sibi vitam instituerunt. Præcisa enim sunt illis inuitamenta peccandi; quotidianaquè disciplinæ legibus, & ipsa domicilij, vestitus, & officij voce non solùm inuitantur, sed etiam quasi per vim compelluntur ad rectè agendum; Atque hæc omnia simul obsistunt in*

Daniel 1.

Lib. 1. Moral.

Exod. 2. n. 9. & 15.

Eusеb. lib. 1. de vita Const. c. 8. & 13.

*prauis ipsorum conatibus, ne illico expleantur. Etiam diuturnitate temporis probantur metalla, si diu ignibus resistant. Quamobrem dicere possumus, ne illud quidem verum esse, quòd vulgo fertur, nempè magistratum, ipso etiam nolente, ostendere quonam metalli genere humana pectora constent; potius autem illud verum esse experimur, diuturnum magistratum esse eum, qui percutit humana pectora, quo ictu sonum deinde edunt eum, quem fortasse illi nollent alios exaudire. Ac præter ea, quæ quotidiana cuiusque status occasiones afferant, sicuti diximus, accidit etiam, vt interdum animi casibus quibusdam circumueniantur improuidis, atque importunis, quos vincere summi animi est, summæque illius prudentiæ, quæ circa res terrenas adhiberi possit. Aiebat prudentissimus vir, incidere quædam eiusmodi tempora, vt per aliquot menses, & hebdomadas nihil agi possit eorum, quæ desiderantur. Sed post aliquot inde dies, prima redit rerum forma, nec semper aduersi flant venti; atque idipsum documento erit, oportere in tali procelloso tempore vti diligentia quadam exquisita, & inusitata, & quàm minimè negotijs implicari, & quieti magis studere, quàm motui. Ideo in aduersis eiuscemodi casibus nauigantium more omnino agendum est, qui turbato pelago demunt armamenta naui, cœlumque intuentes, commodiora signa expectant. Quòd si diceret aliquis, posse omnia superari animi nostri prudentia, dummodo velit aliquis agere prudenter, dictu quidem id fortasse facile erit; sed in agendo inexpectatæ difficultates orientur. Narrauit mihi vir militaris olim,*

*qui*

*qui ætatem bellando consumpserat, neminem, quamuis longo vsu, posse peritum esse rerum omnium, & casuum, quos belli varietates afferunt; adeò inopinati solent esse, multiplicesque, & repentini illi bellici casus. Res exemplo commonstrabitur. Quis vnquam maior dux Alexandro? eum tamen narrant cum Dario dimicaturum, valdè suspenso fuisse animo, totumque auersum in auspicia, & sortes, vt quem pugnæ euentum arbitrarentur, prænunciarent. Cæsar item nesciens explicare causam, cur aliquando victus fuerit, ait, militares animos ratione quadam etiam ipsis ignota, & incomperta perturbatos, & obstupefactos fuisse. Ac vidi ego, non quidem inter arma, sed in casu quodam inusitato, quendam eximiæ sanctitatis virum, miraculis etiam insignem ità perturbari in multorum conspectu, vt neque humilitatis, neque constantiæ suæ gradum obtinere posset; videreturque à proprijs animi perturbationibus victus, & confusus. Non tamen dicemus, eum, eiusque dicta, & facta minoris pretij fuisse; quæ si ideò contemneremus, culpa esset vtique nostræ leuitatis, nostrique malè affecti animi, non illius sanctimoniæ, quæ tanta fuit, vt facilè potuerit magni incendij instar modicam illam velut æruginem absumere. Est illud quoque considerandum, perturbari animi nostri partes, & spiritum, non solùm rerum earum occursu, quæ extrinsecus adueniunt, sed esse quædam in ipsa naturæ nostræ temperatione, & statu, apta turbando animo, idque aliàs quidem minùs, aliàs verò vehementiùs. Totum hoc meliùs intelligetur apposita similitudine ægritudinum,*

Militiæ vsus.

Q.Curt. lib. 4.

Lib. 4. de bello Ciuil.

quibus

Medicorum ars.

*quibus corpora nostra tentantur, & curæ illius, quam medici homines ægritudinibus eiusmodi adhibere consueuerunt. Est enim hoc medicorum artis, vt simulatque ægrotum inspexere, considerent, quanam via natura ipsa laborans enitatur, atque contendat ad salutem, vt morborum iniurias vitet. Id naturæ iter, & conatum vbi philosophi homines cognouere, insistunt ipsi quoque viam eandem, fouent, & alunt, & ea duce vtuntur, vt ægroto suo salutem inueniant. Student, inquam, ea ipsa remedia parare morbis, quæ natura sibi quodammodo elegit, atque destinauit. Ac tantò magis id faciendum est in medica illa arte, quia sæpe calcantur illis ignoti tramites, atque tam obscuri, vt sola lumina artis facem idoneam præferre non possint. In spirituali vita, atque in hac curatione animi, quæ veluti altera est medicina, si tale quiddam fieret, quale fit in curatione corporum, quàm multa præclara fierent, non solùm accepta Deo; sed etiam in administratione Reipublicæ vtilia mortalium generi? Duo sunt igitur, quæ requirat hac nostri spiritus disciplina, quæue spectare oporteat eos, qui in ea disciplina versantur. Spectare primùm oportet medicorum ritu tempora certa, certasque vicissitudines, & quasi periodos, atque recursus; Deinde altiore quadam arte, quàm sit hominum medicina, spectandi sunt gratiæ diuinæ motus, afflatusque cœlestes, quorum est sua quædam, & propria vicissitudo, tùm in adueniendo, tùm in recedendo. Veniunt enim hoc magis tempore, quàm illo, & recedunt sæpè ità, vt nullam explicare rationem animus possit. Vbi secundo vento, prospe-*

*roque*

*roque cursu nostra diuinitus feretur nauis, tunc vela danda ventis erunt, expeditaque velificatione procedendum. In constitutione corporum scimus certas esse periodos, atque commutationes, quibus ætates etiam hominum variantur. Id ipsum in hac altera spiritus vita manifestò contingit, atque deprehenditur; nam interdum gratiæ ope natura subleuatur; & gratiam natura vicissim maiore obsequio prouehit, ac sequitur. In qua quidem consideratione animaduertere videor,* Senum ætas. *ætatem senum aptiorem esse virtuti, quàm cæteras ætates. Iam enim ipsa portum attigit; iam eò peruenit, vt fluctus minaces, & sæui nequicquam fremant. Quin immò venerabili senectutis adspectu deterriti importuni illi perturbationum æstus absistunt procul; nec accedere propiùs audent. Sensus ipsi quodammodo supplices huic ætati, fessi longo certamine poscere pacem videntur, obsequiumque fidele profiteri. Sanè extant exempla, quæ fortasse alibi proferemus, aduersa, & contraria huic venerandæ ætatis quieti; sed generatim tamen, ita, vt dixi, se res habet. Quamobrem satis laudare non posse videmur viri vnius sermonem, qui plenus annis, innocentissimisque moribus, principem virum dissolutè sanè, atque incuriosè viuentem, tam leni, blandoque sermone est allocutus. Vellem ego Princeps, & precor à Deo Optimo Maximo, vt concedat tibi perinde, atque mihi concessum est, canas præferre comas, innitique bacillo, quali me sustinentem huius afflictæ vitæ reliquias vides. Optimus, grauissimusque senex cum hæc diceret, non ille quidem blando permulcere voluit sermone superbam,*

*bam, atque luxuriosam principis illius ætatem adulantum more, sed hoc ipsum tantummodo ostendere, optandum esse ipsi; vt annuente Deo, peruenire posset ad eos annos, in quibus pœnitentia, & dolore superioris vitæ peccata delere posset, & expiare. Ratione deinde effectorum gratiæ animaduersum est, sicut & magnus etiam alius spiritualis vitæ magister olim dicebat mihi, adulta ætate; solere quasdam eiusmodi mutationes fieri; quas ipse vocationes secundas diuinas appellare solitus esset; quarum vocationum impulsu, & instinctu; maiora quædam à Dei seruis facta fuisse memorabat, quàm quanta primus etiam ille feruor ætatis tulisset. Atque id, præter diuinæ gratiæ vim, fit ea insuper causa; quòd perturbationes animi minùs iam aduersantur; minùsque tumultuantur; iamquè notitia, & prudentia rerum in homine magis perfecta est, & absoluta.*

## DE CASV INOPINATO CIRCA EA, quæ paulò ante narrauimus.

### Caput X.



*ICIMVS igitur, in hominum vita versari duros aliquando casus, plenósque calamitatum, & ærumnarum. At narrabo ego quid haud ità pridem acciderit, quod fuit huiusmodi. Accessit ad domicilium forte mulieris; quæ honesta credebatur; honestus homo timens Deum ob negotium ali-*

quod,

*quod, in quo adiuuari à fœmina illa volebat. Fœmina postquam postulata fecit, vt erant in remota adium parte, cœpit de re minùs honesta compellare eum, eamque rem exequi tentauit. Verùm ille, sicuti dixi, timens Deum, refugit à mulieris amplexu, ipsamque reiecit; cumque grauiter increpasset, impatiens moræ, protinus inde abscessit. Post aliquot itaquè dies, arte, sicuti credere oportet, Dæmonum tentatus miser ille, cùm antea constans, & fortis fuisset, cœpit ad eam ipsam rem, de qua appellatus erat, adijcere animum; vltroquè ad fœminam eandem accessit; quam cùm in eodem loco reperisset, inhonestequè compellasset, sic illa respondit; cùm nuper ego te appellassem, mouebar fragilitate mea, quæ me ex improuiso tentarat; nunc tu non fragilitate, sed malitia, consilioquè deliberato accedis; idque tentas exequi peruersè, & obstinatè, quod ipsa miserè concupiueram. Proinde facesse hinc turpis homo, & inquinate. Casus hic monet, duas res nobis esse considerandas, alteram sæpè diem, & tempus ipsum ad salutem nostram, vel etiam ad damnum afferre multa, odiumque, & iram, & malas libidines spacio interiecto minui, vel augeri; Nam dies ipsa minuit impetum, & violentiam ipsarum perturbationum, contingitque interea aliquid, quod impedimento est ad res prauas exequendas; in quo comprobatur id, quod apud Metaphrastem in vita Martiniani Eremitæ scriptum extat, quem Martinianum cùm praua quadam fœmina ad inhonestatem inuitasset, ipseque assensus fuisset, tantum luminis habuit è cœlo, vt diceret, velle se prospicere, an aliquis*


Martinianus Eremita.

*an aliquis in via esset, à quo ipse quæreretur. Atque ità in rupem ibi vicinam processit, quo in loco cùm prospectaret viatores, incessit animum hominis diuino beneficio subita pœnitentia, statuitque non peccare. Cæterùm, spacio etiam interiecto exulceratur plaga, crescitque malum, idque fit hominum ipsorum vitio, qui rem semper eandem mente peruoluunt; neque confugiunt ad ea pia, ac salutaria subsidia, quibus id auerti, atque declinari malum potuisset. In vniuersum tamen dici potest, tutius fore, si quis occasiones omnes euitare, atque fugere instituerit. Est præterea considerandum ex eo, quod duo illi priùs memorati, diuersis temporibus egere consensu suo, non esse iudicandum de maiore ipsorum virtute, & constantia; nam magni quoque peccatores ope diuina grauissimis resistere tentationibus possunt; & quoniam animus humanus instar est impenetrabilis cauernæ, non possumus sæpe dignoscere, vnde nam varij motus eius oriantur; atque ideò fortasse fœmina illa non assensit, intrepidamque se præbuit humana aliquà ratione, & causa; vicissimque alter ille discessit ab ea fide, quam Deo præstare inuiolatam debuerat ob vehementem animi perturbationem, quæ faciliorem, vt anteà diximus, omnis culpæ veniam facit, aperitque quodammodo diuinæ clementiæ portas.*

DE

## DE COMMVNI VITA.

### Caput XI.



*ICVTI euentus noui, & inusitati solent ostendere nobis ipsis, alijsque, quænam sit conditio nostri spiritus, ita etiam vsitata laudabilium morum consuetudo, continuusq; tenor eorum absque vlla significatione vanitatis, & arrogantiæ poterit alia quadam ratione nonnullam Christianæ perfectionis imaginem præferre, atque ostendere; quam imaginem, appellari ignotam licebit: nam alioqui ea ferè est humanæ mentis consuetudo, vt amet noua quædam, & inusitata, quæ quoties in alijs acciderunt, coniunctam cum delectatione admirationem habent, & fermè homines ea vulgari quadam laude prosequuntur. Ea verò, quæ sunt assiduè posita ante oculos, non mouent magnopere sensus animi, neque respiciuntur, sicuti neque Cælum, & purissima illius sidera magnopere miramur. Pulchritudo enim illa ita inueterauit apud oculos nostros, animumque nostrum, vt minime consideretur. Nolim tamen quemquam ita interpretari meam hanc orationem, vt laudabilia piorum instituta, vota, egregiasque virtutis actiones reprehendi à nobis, & contemni putet. Omittuntur enim in hac nostra disputatione, quia sunt propriæ quorundam, neque in vniuersum omnes attingunt. Vitæ ratio, de qua hoc loco agimus, quæue communis appellari potest, duplex erit. Altera pars eius*

*non habebit adiuncta dona alta gratiæ cælestis, alia verò habebit. In hoc secundo genere, in quo cælestium donorum miracula non ostentantur, omniaque dissimulantur arte mira, id sanè ipsum videri miraculum potest; tantique fecere genus hoc sancti homines, vt Deum orarent, ne patefacere vellet ea dona, quæ ipsis impertiuisset. Vbi verò non apparent talia dona, rara, & noua, magna tamen, & summopere laudanda virtus est, si quis interea procul absit à superbiæ, vanitatisque occasionibus, & appetitu curioso; tùm in cultu corporis, tùm in victu, vel incessu, vel gestu. Atque sectatores huiusce mediocritatis animo esse quieto oportet, quia multi sancti homines, & inclyta fama, hanc ipsam calcauere viam, sicuti de*

In eius vita. *Sancto Cypriano Pontius Diaconus refert, quem ait, medio quodam itinere processisse circa corporis curam, & rerum humanarum necessitates. Ac de Diuo Chry-*

Lib. 13. Hist. c. 2. *sostomo Nicephorus ait, fuisse moderatum eum, & in victu miram quandam mediocritatem retinuisse. Angelicus porrò Doctor, sicuti cætera vita, ita etiam hoc instituto magnos illos est imitatus. Antiquos quoque Patriarchas nescio ego, an dicere possim valde ad hosce mores accessisse, quamuis cælestibus donis abundauerint. Simplicissimos vtique mores, & amabilem erga omnes charitatem, mansuetudinemque in illis animaduerto incredibilem, verbis etiam illis explicatam; quibus Abrahami cura narratur, tunc cum hospitio*

Gen. 18. n. 5. *Angelos accepit*; Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui festinauit, & coxit illum.

*Ponderari quoque possunt ea Isaaci, quæ hæc sunt;* Sume arma tua, pharetram, & arcum. & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam. *Num ideò modestiam, & abstinentiam, cæterasque talium virorum virtutes in dubium vocaremus? Nihil profectò minus. Magnum certè, & summum virtutis eorum argumentum debet esse illud, quòd licet digni extiterint diuina familiaritate, atque ita placuerint Deo, vt Deus ipse diceret se esse Deum Abraham, & Deum Isaac, nihilominus illi extrinseca specie domestici omnium, lenes, ac mansueti haberentur. Certa quoque laude commendatum fuisse olim virum illum, nomine Atticum memini, cùm in ciuili consuetudine, & vita ità se gereret, vt communis infimis, par Principibus videretur. Ita in Dei seruis moderatio illa vitæ summam magnitudinem habebat, sed ita temperatam, vt magna ex parte occulta esset. Ac fortasse Pythagoreum illud respiciebant;* Modus in omni re optimus. *Modum autem eum vt rectè tenere possimus, prudentia illa imitanda est, quam Marcus Tullius Romæ fuisse necessariam ait; nam ibi cùm variæ gentium fraudes, insidiæque, & diuersi mores essent, magni consilij opus fuisse affirmauit, ita vti varietate illa, vt neque ludibrio cuiquam esset, & varios aliorum mores, ac studia, voluntatesque sequeretur. Neque ideò credere oportet, minorem fore famam ex eo, quòd vita communis minus admirationis habeat; nam etiam altissima quæque flumina nullo edito strepitu, ac sono labuntur.* DE

Gen. 27. n. 3. & 4.

Corn. Nepos in eius vita.

Pythagor. in Carm.

De petitione Conf.

Q. Curt. lib. 7

## DE MODESTIA, siue discretione.

### Caput XII.


*ÆC autem vita communis si recte consideretur, posita est in medio quodam veluti puncto, itaut nusquam ad extrema declinet. Itaque dicere possumus, nihil aliud esse communem instituere vitam, cùm de pijs hominibus sermo est, quàm sequi mediocritatem, siue discretionem, quam si vellemus definire, diceremus nihil aliud esse eam, quàm virtutis medium, ad quam si itinere hoc pergere volumus, regula tenenda est illa, quam veterum sapientes de muneribus accipiendis tradidere. Aiebant enim, non esse promiscuè accipienda omnia, neque ab omnibus, neque per omne tempus. Id ipsum tenendum est hominibus hisce, quos discretos appellamus, quotiescunque pœnitentiæ, siue virtutis opera aggrediuntur, & mereri aliquid volunt. Tenendum inquam est hoc, vt rationem habeant temporis, & occasionum, & propriæ suæ naturæ, siue conditionis, ad eamque dimensionem, & regulam accommodent quidquid agunt. Oportetque considerare illud magni Athanasij monitum, quod in Libro de Virginitate extat. Sic enim ille habet;* Cura ne des hominibus occasionem dicendi, id malum tibi ob exercitia deuotionis accidisse. *Vbi autem ab hac regula, siue dimensione discessum fuerit, interdum*

Munera quomodo accipienda.

*nocent exempla, quæ prodesse debebant. Constat enim, magnanima quadam opera destinata fuisse certis personis cum certa conditione, & forma, quæ cum diuino consilio administrata, atque dispensata sint, non possumus nos ad ea cognoscenda humanæ mentis acie peruenire. Cùm autem ea fiunt, fallimur existimantes id ipsum esse indiscretè, turbulentèque susceptum, quod ipsum ipsamet prudentia, siue discretio erit. At ex contrario cùm diuina voluntas ad actiones nostras minimè congruit, auxiliumque cæleste procul abest; tunc etiam ieiunia remissa, & facilia, & quæ manu, corporeue toto leuissimè peraguntur, vituperationem habere possunt, quasi immodestè, prauèque suscepta. Est insuper alia consideratio singularis, qua monemur, quosdam magnos excessus in omni genere virtutis, & quædam extrema; quæ nimietates appellari possent, afferre plus admirationis, & venerationem quandam conciliare agenti, ac maximè apud vulgum, & apud eos, qui mediocriter sapiunt. De quo genere, ac de posita in vltimo gradu virtute, Plinius Secundus eleganter in hunc modum ait;* Nam vt quasdam Artes, ita Eloquentiam nihil magis, quàm ancipitia commendant. *Quod cum scriberet Auctor ille, videtur explicasse suam hanc de Eloquentia sententiam, vt genus illud probaret, quod ad extrema accedit, quodque dubitandi, & suspicandi locum afferre videtur, quasi vitium aliquod incurrerit, & quasi reprehendi posit. Sententiam hanc autem fuisse illius declarant hæc eiusdem verba de Oratore quodam eorum temporum;* Nihil peccat, *inquit* Epist. 26. lib. 9. ad Luperc.

K

*quit ille*, nisi quòd nihil peccat; debet enim Orator erigi, attolli, interdum etiam efferuescere, & prope accedere ad anceps. *Id autem fit, quia gloriosius; laudabiliusque est, vicina vicisse pericula, quàm longinqua; magnæquè artis est, accessisse propiùs ad pericula, & ea tamen deuitasse funambulorum instar; qui cùm in singula momenta cadere videantur, excitant clamores. Ideò eximiam sanè laudem Orator ille habebit, qui rectè vtetur sublimi dicendi genere, & in eo tumidum illud, quod in vicino stat, effugiet; miraque; sed non incredibilia miscebit; seque magnanimum ostendet, non verò audacem. Id ipsum quoque in nonnullis alijs Artibus, ac Scientijs fieri Plinius idem existimasse videtur, quemadmodum ipsius iam allata verba commonstrant. Atque ideò dicere possumus, excessus quosdam esse re vera admirabiles, si ex sua ipsorum natura, ac conditione considerentur, cùmque tales sint, posse tamen eosdem nomine temeritatis, reique nouæ, & inusitatæ appellari, sicuti Herculis opera, si cum ijs comparentur, quæ passim prudentes viri gessere, temeritatem habere videbuntur. Id ita sapientissimus Hyppocrates indicauit, cum Democritum inuiseret; quem è potestate mentis exisse fama erat. Quæ enim indicia stultitiæ in quolibet alio homine existimassee, in eo signa esse summæ sapientiæ duxit; credidítque insanire multitudinem, quæ Democritum insania condemnaret. Hyppocratis autem verba hæc sunt;*

Hyppocrates in Epist. ad Dionysium. Ego vero neque morbum ipsum esse puto, sed immodicam doctrinam, quæ re vera non est

immodica, sed ab idiotis putatur. Nam nunquam nociua est virtus immodica. Excellentia verò morbi opinionem de se præbet, propter iudicantium imperitiam. Vnusquisque enim ex his, quæ ipse non habet, iudicat id, quod in alio abundat, superfluum esse. *De Beata Maria Oegniensi refert Iacobus Vitriacus Episcopus, & Cardinalis, panè ipsam vti consueuisse tam aspero, & duro, vt vix ipsimet canes illum mandere potuissent; eumque panem ipsa cùm voraret, laceratis faucibus, stillasse sanguinis guttas. Eximium item illud in Ioannis Climachi vita, quam Daniel Monachus scripsit, inuenio, Climachum nempe ipsum omni cibo, qui Ordinis sui institutis non damnatus esset, vesci solitum, sed parcissimè ferè ad miraculum. Ita assequebatur, vt & superbiæ cornua infringeret, & gulæ rabiem domaret. Simeonem quoque Stylitam recenset Theodoretus, nunquam voluisse manum admouere fœdis animalibus, quæ è sordida carne genita carnem ipsam assiduè rodebant. Ac de Beata Angela Foliniensi extat res, quæ memoratu ipso mouere stomachum potest, nimirum ipsam lotis cruribus hominis leprosi, aquam postea bibisse, itaut crusta vna in faucibus hæreret; ac deinde, vt præclaræ sua actionis testimonium extaret, inexplicabilem suauitatem sensisse. Inusitata etiam fuerunt, & prope modum omnem egressa ea, quæ sancta Radegunda fecit, sicuti apud Fortunatum Episcopum legimus; ea siquidem inter cætera, faciem leprosorum osculabatur; atque tribus circulis ferreis adstrinxit sua membra; circulumque*

In eius vita lib. 1. c. 8.

Lib. 1. in eius vita c. 9. & c. 14.

*lumque vnum instruit collo ; & circulos alios inseruit brachijs ; cinxitque corpus catenarum mole , atque id per totum Quadragesimæ tempus fecit ; cùmque detrahere corpori ferrum illud vellet , manauit vbertim sanguis , animique deliquium passa est ; pariter eadem incidendum curauit Christi nomen in lamina ænea , atque candentem eam admouit corpori , varièque impressit corpus totum quasi depingendo . Alijs item Quadragesimæ diebus ; ardentes ferri laminas corpori suo admouit , quibus tota consumeretur , atque vlceraretur . Contra verò austerissimæ vitæ Sancti homines instinctu diuino non recusauerunt adhibere nonnulla , quæ alij seuero supercilio repudiauerunt . Ac memini , narrare Diuum Gregorium de Diuo Benedicto , quemadmodum apparuerit ille Mauro Discipulo suo pellicea veste indutus , quæ taxi pellibus subsuta esset ; quam , vti videbatur , Sanctus ille quotidianam habebat . Ac Simeon Stylita dum in memorabili illa sua columna vitam ageret, sicuti apud Theodoretum est , pellibus indutus fuit . De cuius austeritate , & propemodum inaccessibili viuendi forma magnum hoc animaduerti oportet ; quod Theodoretus idem scriptum reliquit ; eum nimirum paulatim , atq; longo temporis spatio columnam illam suam extulisse à terra ad trigesimum sextum vsque cubitum ; quæ res documento esse potest , ipsum lento gradu vices suas dimetiendo , atque se ipsum experiendo , non autem ardore animi vitam illam instituisse , atque insuper explorasse diuinam voluntatem , & cuiusmodi ea esset , ex prosperis , aduersisque casibus coniectasse , neque statim fecisse vela diuini fauoris aura , ac vento .* QVÆ-

## QVÆRITVR DE FORMA VITÆ, quam Beatissima Virgo instituerit.

### Caput XIII.



*HÆC ipsa, quæ dicta sunt hactenus, videntur locum afferre dubitandi, an Beatissima Virgo, quæ veræ sanctitatis speculum fuit, toto vitæ suæ cursu dedita fuerit hisce pœnitentiæ operibus, & affligendi corporis disciplinæ. Id quò faciliùs intelligatur, altiùs aliquantò mihi repetenda res est, idque demonstrandum; quòd Deus Optimus Maximus condita rerum vniuersitate, se ipsum, & gratiam suam varijs modis impertijt rebus, atque inde tot varietates extitere. Hominem præcipuè ipsum voluit esse capaciorem gratiæ diuinæ, quàm cætera omnia, tamque capacitatem in hominis animo, & voluntate propè immensam constituit, atque collocauit. In homine creati sunt sensus ad ministerium partium aliarum excellentissimarum, quæ nimirùm sunt intellectus ipse, & voluntas. Verumenimverò, sensus ipsos, ipsasque facultates vetuit auide nimiùm, ac dissolutè demergi rerum humanarum cœno; iussitque, post exactum huius vitæ cursum, expectare parata sibi præmia, cœlestemque Beatitudinem, proprium humani animi bonum. Cùm itaque primus hominum ab hoc diuinæ legis præscripto discesserit, pœnam habuit ille, qua dignus erat; nosque deinceps eius culpæ contagione labefactari, atque corrupti, necesse habe-*

Primi Parentis labes.

*mus assiduè purgare sensus, atque facultates, quas illa primi parentis labes infecit, atque deformauit. Id licet omnibus mortalibus faciendum sit, non est tamen omnibus eodem modo faciendum. Nam alijs frenandi sunt appetitus inhonesti, & praui, qui proculdubio insurgerent, nisi frena inijcerentur; Atque hæc omnibus esse debet custodia, quicunque ad salutem æternam adspirant. Alijs etiam adhibenda est custodia, & cura in quadam extrinseca ratione rerum earum, quæ alioqui nihil inhonesti haberent; idque diuinis quoque legibus continetur; nam in cibo sumendo, vel auiditate nimia, vel conditione temporis etiam peccatur. Est etiam huius piæ continentiæ effectus, cùm ea, quæ media erunt inter virtutem, & vitium, amplectimur studiosè, eaque ipsa vertimus in bonum, non solo ducti appetitu; Atque ideò cùm in assumendis cibis multiplices, & varij esse fines possint, id tamen minimè fit nisi necessitatis, & virtutis causa. Amplectimur præterea studium hoc domandi corporis, & continendi sensus tunc cùm volumus vltrò carere rebus, quæ nec prauæ sunt, nec rectæ; sed tales omnino, qualis finis, ad quem illa referuntur; atque in hoc virtutis genere perfectiores homines versati fuerunt. Sed quoniam id intensiùs aliàs, aliàs verò remissiùs fieri potest, hinc diuersa forma vitæ Sanctorum manauit; diuersaque eorum merita, & virtutes maiores, ac minores. In quo quarto continentiæ huius genere credere oportet, Beatissimam Virginem omnium merita, puritatemque superauisse. Nam semper Beatissima Virgo caruit rebus ijs, quæ omni-*

*no necessariæ minimè erant vitæ sustentationi; diuinæque gloriæ; neque in vno tantùm sensuum suorum, aut in vno magis, quàm in alio sensu, sed in omnibus æquabiliter; neque circa extrinseca tantùm, sed etiam circa intimos sensus, & circa omnia quæcunque offerebantur, id ipsum seruauit. Quod quidem Sanctorum præterea nemini fuisse factum, affirmare possumus. Hic fortasse aliquis dicat; fuit ne Beatissima Virgini tantus rigor inediæ, quantus Præcursori Saluatoris Ioanni? Huic ità interroganti sciendum est, quotiescunque maioris, aut minoris virtutis comparatio fiat, non esse gradum simpliciter ipsum virtutis considerandum, sed oportere considerari earum conditionem, in quibus eæ virtutes versantur; Idea namque fieri potest, vt larga diuitis hominis eleemosyna non sit tam accepta Deo, neque tam ampla, quàm eleemosyna pauperis hominis erit; id quod Saluatoris ipsius verba declarant apud Euangelistam Marcum.* Cap. 12.n.43. *Hoc ita posito dicendum est, Beatissimam Virginem pro sua conditione, statuque tum intrinseco, tum externo, in nullo genere virtutis ab nemine fuisse superatam. Id quoque confirmatur ipsiusmet filij exemplo. In Saluatore enim nostro manifestè apparet, communis vitæ consuetudinem ità fuisse custoditam, vt etiam sublato diuinitatis respectu, seu vt Theologi loquuntur, sublata vnione hypostatica, præstantior esset, quàm Diui Ioannis vita, tum in abstinentiæ virtute, tum in omni alia re, quæcunque in vitam eam caderet, ob allatam causam. Sed dubitauerit fortasse aliquis, quomodo potuerit Deipara Virgo de-*

*licatis-*

*licatissimo suo corpore sustinere Diuini spiritus impetum, flammasque cælestes, si quidem tantum interioris luminis, tantùmque diuinorum munerum; ac præcipuè tanto plus charitatis obtinuit, quàm Sanctorum aliorum præterea quisquam. Augetur porrò difficultas, causaque dubitandi maior ex eo emergit, quòd nullo modo potest ambigi, quin Deipara eadem exarserit summo feruore charitatis erga Deum, & proximos; qui feruor non solùm re vera adesset ipsi, sed etiam prout aderat, sensu perciperetur. Potest enim alicui Sanctorum is feruor adesse, nec sentiri. Cæterùm is nodus ita dissoluitur. Non potuisset haud dubiè Virgo Deipara corporis viribus sustinere tantam vim, & copiam diuinorum munerum, quantam omnibus animi sui partibus excepit; nisi præcipuo quodam, & singulari munere, membra, partesque corporis munita diuinitus essent aduersus offensionem, quam tot, tantorumque donorum concursus intulisset. Assiduè enim ea dona ferè sine modo immittebantur, voluntasque, & memoria, & ratio, siue intellectus perpetuò circumfluebant eiusmodi donis. Cùmque Ecstasis etiam, sicuti credimus, ei adesset; ita temperata debuit esse res, vt ne corpori nimium noceret; neve morbum vllum, ac dolorem inferret, contingeretq; tantùm vel ipsius Virginis arbitratu, vel nutu Diuino, parcè, ac moderatè.*

D E

## DE COELESTIVM donorum specie.

### Caput XIV.



*T quoniam satis dictum est de communi vita, donisque occultis, agendum nunc mihi est de periculis, quæ adeunt illi, quibus manifesta ecstatica, vel etiam manifesta dona miraculorum obtingunt. De qua re quia copiosè disputatum est inter Scriptores, parciùs aliquanto agemus ipsi, ne ad aliena dicta reuoluamur. Plausus, quos hominum fauor dare solet eiusmodi donis, atque muneribus, magnopere fugiendi esse videntur, tanquam conuiciorum, & offensionum multarum origo, cùm procliuiores semper hominum animi sint ad obtrectationem, & liuorem, quàm ad laudem. Ac dura sanè censura manet assiduè eos, qui talem aliquando famam admisere; nam crebrò postea voces eiusmodi audiuntur; ecstatica illa subridere visa est; visa est nonnihil oculis innuisse; dixit etiam hoc, aut illud; & opiparè cœnauit; & est optimè vestita; Quæ dicta, & sermones hominum, etiam perfectæ sanctitatis aliquem offendere possent. Accidit etiam, vt isti, qui semel ecstatici, & diuini habiti sunt, fatigentur interrogationibus, ex quibus vt se se expedire posint, sudant, anguntur que miseri, & confusi relinquuntur; nec tamen lex vlla, vllumue officium cogebat, vt ad ea responderent. Ac simile planè negotium est, ac si*

*quis peteret à medico, quibus indicijs inuestiganda sint maleficia, & quænam iusta sint indicia, vt eculeo torquere reum Iudex posit. Communis etiam expectatio grauis esse solet, & aduersaria talibus hominibus, siue fœminis; nam nisi miraculum aliquod in singula momenta patrauere, & nisi prædixere sexum in partu, partumue ipsum, contemnuntur. Verùm hæc non sunt fortasse tam magni momenti; maximum illud, grauissimumque est, quod interdum ecstaticæ ista capita regere se ipsos nesciunt, quippe etiam in sacris litteris locum habemus, qui id indicare videtur; Diuus ipse Petrus enixè petijt à Deo, vt calcare posset vndas; idque cùm impetrasset, afflante vento perturbatur, & miraculi gratiam corrumpit. Id ipsum accidere solet illis, qui postea quam impetrauere cælestia munera, non rectè custodiunt, neque salutariter vtuntur. Insuper valde anceps ad fidem est, valdeque dubium, & incertum, explicare visionum ipsarum fidem, atque sinceritatem, etiamsi circa eas diligentia omnis adhibeatur. Atque ideo licet ab vera aliqua causa proficiscatur, minimeque peccent credentes, dum singulari Numinis afflatu, reputant se ad ea credenda moueri; contrarium tamen Libri omnes docent, periculosamque esse obstinatam credulitatem. Hinc fit, vt ab hac cogitatione omnia ecstaticorum solatia, iucunditatesque omnes amaritudine quadam sæpius inficiantur. De miraculis quoque nulla nobis certa, & integra notitia esse potest, quippe cum ea à diuersis causis proficisci possint. Atque id mirificè confirmatur Diui Bernardi auctoritate, qui du-*

Matth. c. 14. n. 30. 31. 32.

*bius*

*bius hærebat, quâ videlicet virtute, quaue gratia sibi magna quadam, & inusitata accidissent. Hæc sunt ipsius verba.* Cùm per totum ab eadem Prouincia reditum viri Sancti magis, magisque signa crebrescerent, & multiplicarentur in dies; non prætereundum, quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis, & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per Sanctos homines, & perfectos: facta sunt, & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur. Confido autem, nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & à Domino ignorantur. Hæc & eiusmodi crebriùs, secretiùsque cum viris spiritualibus conferebat. Nouissime verò opportunum sibimet visus exitum reperisse, scio (inquit) huiusmodi signa non ad sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem: & Deum in homine, per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quàm opinionem; vt in eo commendet hominibus,

Goffridus in vita S. Bern. lib. 3. c. 6.

minibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt; sed pro eis magis, qui vident illa, vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Dominus operatur, vt ipsos probet cæteris sanctiores, sed vt cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi, & signis istis. Quandoquidem meæ illa famæ magis, quàm vitæ, nouerim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commendationem potius aliorum. *Traditur illud etiam in Scholis, sicuti sciunt omnes, posse nimirum peccantes etiam homines patrare miracula, diuinamque Maiestatem ibi potentiam suam exercere per inimicas sibi, & rebelles animas; de qua re perscriptas* [a] *auctoritates poterit legere, qui volet. Sed ad huius rei fidem, præter ea, quæ grauissimi Scriptores tradidere, eximium illud in tertio Libro Regum habetur. Repudiauerat Propheta regias pollicitationes excelso animo; neque minimum quid in gratiam Regis ipsius attingere voluerat. Postea idem alterius Prophetæ verba credulus admisit, diuinumque præceptum violauit, & cùm præter legem comedisset, fuit à leonibus ipse deuoratus. Iam nos hoc loco quid tandem statuemus? Non satis est adspernari res humanas, gratiamque Principum; non satis abundare ipso reuelationum munere; sed habenda est illa spiritus prudentia, quæ assiduè erudiat animum nostrum, doceatque vera à falsis, solida ab inanibus dignoscere, & dijudicare.*

a Iustinus Mart. in libr. Resp. ad quasdam Christianas quæst. in resp. ad quæst. 5. August. lib. 83. quæst. quæst. 79 Greg. Magnus libro 9. epist. 58. & lib. 20. Moral. c. 9. Leôtius, Theophylactus, Euthymius, in ea verba Euang. Ioan. cap. 9. n. 31. D. Thom. 2.2. qu. 178. art. 2.

Cap. 13. n. 8. 21. 22. & 24.

DE

# DE HYPOCRISI.

## Caput XV.



*ICVT aliqua cælestium donorum vera sunt, & manifesta simul, ita reperiuntur nonnulla, quibus falsa species inest; re ipsa non inest, eaque species Hypocritas præsertim habet. Hypocritas autem dicimus hoc loco, non eos tantùm, quos à Saluatore tantoperè in Euangelio esse damnatos legimus, sed magis dicimus eos, qui vitiosa dissimulatione propter vanitatem tegere suas culpas amant. Eam sanè dissimulationem odio habuere Sancti homines, atque adeò abfuerunt ab ea, vt potiùs culpas ipsi suas opinione hominum augere studerent, simulque virtutum famam obruerent vltrò, si quam insurgere animaduertissent. Adeò erant veritatis amatores, vt nollent opinionem vllam esse de rebus suis maiorem, quàm res ipsæ essent. Quale exemplum admiratione sanè dignum extat in Diui Francisci vita, dignum quidem quod pietas omnis imitetur. Is cùm fortè stomacho malè affecto esset, necesseque haberet partem eam corporis fouere pelle aliqua, abnuit adhiberi sibi remedium illud, nisi priùs alia pellis extrinsecùs assueretur ad vestem, similis ei, quam languens stomachus postulabat. Vellem egregium hoc sancti viri factum, eorum celebrari litteris, qui summam in dicendo vim haberent; nam ego quidem parem ei facto reperire orationem minimè posse videor. Quàm*

Marci 7. n. 6. Lucæ 6. n. 42.

Diui Francisci exemplum. Lib. 1. Chron. c. 74.

*pauci reperiuntur, in quibus extrinseca species ad internum habitum conueniat? quàm pauci, qui nolint maiore in publicum esse fama nobilitatis, & scientiæ, quàm re vera sit dignitas ipsorum, & conditio, dictisque, & factis vltra rem ipsam ad existimationem sui nominis nituntur? Non decet vtique præferre, atque ostendere spiritum, quem non habeas, famamve aucupari munerum diuinorum, quibus alioqui careas; non gestu, non veste, non re denique alia quæsita per artem ei famæ inseruire. Neque fortasse in tota spiritualis vitæ disciplina tam difficile aliud est, quàm noscere proprij spiritus modum, vocationisq; genus, atque agere ita, vt extrinseca cum internis aptè conueniant; neque assumat sibi animus quicquam vltra vires, & vltra vocationis sortem. Porrò illi, qui arte famam quærunt, vtuntur fermè grauitate morum, silentioque, & tristitia quadam, longèque diuersis moribus in publico agunt, quàm intra priuatos parietes, & in suorum cœtu. Atqui non ita agere deceret, si quidem vellemus semper similes esse nostri, sicuti Magnus Alexander humanæ gloriæ studio aiebat, vbicunque esset, perinde agere se, ac si in communi aliquo theatro terrarum omnium versaretur. Quinimmo Dei seruorum is fuit in hoc toto genere animus, vt parati essent, cuperentque suas ipsi culpas in conspectum hominum proferre, vt ipsorum fama diminueretur. Verùm qui nondum attigere sanctæ perfectionis gradum, eos minimè mirum est, mentiri nonnihil interdum famæ suæ causa; idque faciunt, vel præcisè negando culpas, vel easdem*

Alexandri exemplum.

eleuando

*eleuando, vel afferendo causam aliquam, quæ peccare coegerit, vel assumendo in sua culpa societatem alios, siue peccauerint vnà, siue non peccauerint.*

## DE INDOLENTIA.

### Caput XVI.



*ESCIO an Hypocritarum sit etiam ea animi affectio, quam Climachus insensibilitatem, siue indolentiam appellat. Eius sanè generis hæc sunt; Agere secus, & loqui; mirifica polliceri omnibus horis, & nihil præstare; philosophari de rerum humanarum contemptu, & easdem appetere; vitia insectari, laudare virtutes, neque fugere illa, aut has sequi, & amplecti. Vidi ego quosdam, ait Climachus, ad futuri iudicij mentionem flere vbertim, ac profundere lacrymas, quæ cùm nondum exaruissent, accumbebant solicitè, atque epulabantur. Pessimum hunc morem arbitror in aliquorum animis originem eam habere, quòd omnibus placere velint, omnibusque veluti gratum pabulum exhibere, dum apud militares homines de bellicis rebus, apud sacros de diuinis sermones ferant. Sunt aliqui cupidi magnæ in vulgo famæ, qui tamen tegunt vitia, nota alioqui hominibus, & manifesta. Volunt alij famam habere doctrinarum, disputantque de Patrum opinionibus, & iactant crebrè disidia, quæ inter Magnos* Grad. 17

*Doctores*

*Doctores Augustinum, & Hieronymum extitere: Illi vitas Eremitarum nouerunt, possuntque multa narrare memoriter, & piè. Subtiliter etiam ijdem capita vitæ spiritualis tractant, voluntquè omninò definire, vbi summa perfectio posita sit, quò nisi perueniatur, nihil esse actum putant. Laudabilia sanè omnia, & fortasse fructuosa, sed rarò consentanea factis. Ac memini ego ità scriptum esse à Philosopho quodam, non Philosophos, sed Grammaticos homines esse illos, si qui omissa agendi cura, Chrysippi Libros legant intelligendi tantùm studio.*

Epictetus Enchiridion c.64.

## DE TEMERARIA CREDVLITATE.

### Caput XVII.



*ED vidimus ipsi non sine magno certo mœrore, longè deteriorem aliquorum conditionem, atque statum, quorum actiones, & vitam si quis intueatur, haud dubiè dixerit, valdè probos, & valdè malos homines esse, pro varietate videlicet actionum, quæ ab ipsis proficiscuntur; simile planè genus hominum circumforaneis tabulis, quæ ab vna parte intuentibus, effigiem repræsentant humanam, ab altera si spectes, equus, siue vrsus erunt. Ità si horum hominum vitæ partem spectes, laudabilia multa, & præclara occurrent, consentientque facta cum verbis; neque vlla vanæ gloriæ, simulationisue labes subest. Rigidi homines ad aliqua, & seueri, & solicitæ religionis,*

gionis,

gionis, crebrò obeuntes diuina mysteria, sacrarum rerum, sacrorumque hominum amici, & studiosi. Reliqua vitæ pars non ignota prudentibus varias culpas præfert. Cùm hæc ità se habeant, fama eorum incerta est, & dubia; nam laudant alij quidem, alij verò sermonibus suis onerant eam, & alij fortasse religiosiores, suspensi hærent, & obstupescunt quodammodo, neque habent quid dicant; atque errandi metu dicunt, iudicia hæc esse illa, quæ relinqui oporteat diuinæ iustitiæ videnti omnia, & cognoscenti. Quod verò ad ipsorum animi dispositionem, siue affectionem attinet, ipsi culpas minime vident, existimantque rectissima se procedere via, & magnam de æterna salute spem habent, ac propè vacui sunt omni solicitudine, ac metu; ac si quis admonere velit, tam aptè disserunt, tamquè aptè respondent, & tam expedita est, aptaquè defensio, & excusatio, vt arguant illi facile monitores ipsos, nisi & res, & vita eorum certissimè cognoscantur. Quòd si succedat, vt purgati, & defensi esse videantur, mirificè exultant, crescitque animus ineerea, & mala agendi constantia; voluntque nouis excusationibus suam ipsi vitam, atque mores defendere, ac data opera lacessunt sermones, atquè percunctantur vltrò, quænam sit fama de ipsis, idque faciunt, vt nouam aliquam victoriam reportent aduersus famam, quam de se percrebescere incommodam sciunt. Cur autem hæc fiant, nullam causam afferre posse videor certiorem, quàm quòd mira est eorum ignorantia, mirusque amor ignorantiæ; atque inde fit, vt scrupulos adsciscant sibi ad eas res, quæ scrupulis minimè indigebant,

*gebam. Ubi autem religiosè, ac timidè agendum erat, ibi securi, & vacui cura penitus agant. Atque totum hoc valdè consentit cum sermone, quem mecum olim habuit magnus spiritualis vitæ magister; aiebat enim ille, consuetudinem hanc esse Dæmonis, vt scrupulos inserat ijs rebus, in quibus nulla est causa timendi errores, & lapsus; ac deinde scrupulos eosdem auferre penitus ex animo nostro, tunc cùm timendi, & pauendi tempus erit.*

## DE FALSA INNOCENTIA.

### Caput XVIII.



*ERUM instituendus nunc sermo est de alio genere cæcitatis, quæ veluti hospes, & socia est longè diuersæ conditionis hominum, quàm de quibus hactenus egi. Magni peccatores fermè nulla cura, nullaue solicitudine confessionem peragunt, atque sæpiùs grauissima peccata prætermittunt. Sed animaduertendum est, interdum natam esse in animo, menteque nonnullorum, qui spirituales habentur, & alioqui laudandi erant, falsissimam illam opinionem; vt credant non esse sibi quæ confiteantur. Et quamuis vrgeant illos Confessarij, magnopereque hortentur, vt diligenter excutiant animum suum; nullum tamen elicere verbum possunt, nullamque culpam, siue peccatum. Id haud dubiè trium causarum sit aliqua, vel ignorantia nimirum, vel superbia, vel diminu-*

*diminutione mentis. Homines huiusmodi fermè non sunt ingenio viuido, sed conditione quadam emortua, & stupenti, languidique ad agendum, & remissi. Atque inde etiam pars erroris eorum manat; nam solitarij viuunt, neque negotijs implicantur, sermoque parcus eorum est. Cùm autem ex altera parte, mira sit eorum ignorantia, non vident præter externa opera, innumerabilibus propè modis offendi Deum posse; ac saltem non poterunt reijcere à se culpas omissionum, vel pietatis in Deum, vel charitatis in homines, vel immoderatæ sensuum oblectationis, vltra id, quod vitæ necessitas, & Dei gloria requirebant. Si fortè dicent, non esse sibi talium rerum rationem reddendam, in magno sanè errore versantur. Totum hoc comprobatur illius recenti adhuc euentu, qui conditione quadam inusitata, & noua cùm esset, aiebat, nihil occurrere sibi, quod confessione dignum putaret, atque ità multos annos perseuerauit, donec subito lateris dolore extingueretur, absque vlla confitendi copia, vel voluntate; obijtque delirans. Huic etiam incesserat id studium, vt vitam suã consignaret, scripsitque ea, quæ si prodijssent, facilè superbiam arguere ipsius possent. Nolo ego de mortis huius genere pronunciare quicquam, cùm Dei iudicia sint inenarrabilia. Periculosa tamen visa res est; & aspectu ipso minimè læta, meritòque dubitare posse videmur.*

DE

## DE ADMIRABILIS CHRISTINÆ rebus.

### Caput XIX.



*VIC primo Libro finis erunt mirifici quidam, & inusitati casus, de quibus narrandis proprius hic esse locus videtur. Nam singularis diuinæ gratiæ species coniuncta cum eiusmodi casibus fuit, idque factum est ratione quadam occulta, & noua, quam vix capere humanus animus potest. Sancti Trudonis Castellum, siue vicus est in Germania nominis obscuri; ante quam hoc ipso casu nobilitaretur. In eo Castello circa annum humanæ salutis 1187. fuit Virgo, cuius vitam ijs fermè temporibus Thomas Cantipratensis litteris mandauit, meminitque Virginis illius Libro secundo, Capite quinquagesimo tertio de exemplis. Neque dubitari debet, vera ne res fuerit, quam & A Laurentius Surius, & Dionysius B Carthusiensis, & nostra memoria Cardinalis Baronius C retulere. Quorum vltimus honesta mentione prosequitur Virginem, affertque vaticinium quoddam ipsius, & probat. Iacobus quoque Vitriacus in Præfatione ad vitam Beatæ Mariæ Oegniacensis sic loquitur, vt Christinæ huius probare famam manifestè videatur. Nihil attinet historiam à me referri totam, quæ cognoscere volenti est in promptu apud Scriptores alios. Nonnulla tantum, quæ documento possint esse, proferemus. Postquam illa*

A Die 23. Iunij. Tom. 3.
B Lib. de quatuor nouissimis art. 50.
C Ann. Tom. vlt. ad annum Christi 1187 num. 10.

*reuixit,*

*reuixit, visum est eius corpus assumpsisse dotes eas, quas corpora Beatorum habebant; agilitatem nempe, & leuitatem, & impassibilitatem, atque subtilitatem; sciendum tamen est, non fuisse perfectas in Christina dotes eas, sicuti in Beatorum corporibus; nam certis temporibus, locisque, & occasionibus in ea muliere circumscribebantur. Non tamen negari potest, quin certissima hæc fere probatio sit, quam nobis præbere sensus possint; neque res fortasse magis alia argumento est, corpora nostra tunc cum adepta suam gloriam erunt, habitura esse dotes hasce cumulatè perfectas. Hinc insuper apparet, quæ sit natura, & conditio rerum aliquarum, quæ in ecstaticis cernuntur, vti sunt aculei, & incendia pectoris, distensioque neruorum, & dolores, qui non fiunt naturæ more, sed purgantis ignis instar tribuuntur in hac vita, Quæ cùm Ecstaticæ ipsæ narrant, nec facile credendum illis, nec tota statim fides abroganda est. Christina porrò ipsa, dum incendio consumeretur, nec tamen absumeretur, documento erat, facile esse diuinæ potentiæ, vim ipsam moderari elementaris ignis, atque restinguere quandocumque libitum sit; augere item, atque dilatare, vt sempiternarum pœnarum instrumentum fiat. Non sunt igitur ea, quæ narrantur in hac vita Christinæ adeo incredibilia, vt non causas quoque suas habeant etiam ex Philosophorum scholis, licet in vulgus ignotas. Corpus etiam ipsius in contemplatione liquefieri videbatur ad instar ceræ, & veluti globum, molemue carnis repræsentabat. Mirabile vtique est, quantum hæc anima corpori suo facta* Christinæ contemplatio.

*superior esset, & quantopere similis esset animo, qui iam a corpore discesserit. Referam hoc loco aliqua vtilia admodum contemplantibus, Deique seruis; atque ipsius Thomæ Cantipatrani verbis vtar, qui non iuuenum more ludentium in scholis scripsit, sed retulit ea simpliciter, quæ Christina ipsa locuta esset.* Narrauit mihi quiddam de ea Venerabilis Thomas, nunc quidem Abbas Sancti Trudonis, tum verò parochus, quod sit annotatione dignissimum. Ad auroram cum socio quodam reuertente illo à precibus, quas Matutinas vocant, Christina cum impetu quodam transiens, in Ecclesiam ingrediebatur. At illi clàm eam secuti, retro columnam quandam sese abdentes, obseruabant quid illa vel faceret, vel precaretur. Ibi tum Christina coram altari haud aliter atque saccum quendam aridis ossibus plenum sese humi abiecit, grauiterque ingemiscens, & crebrò pugnis pectus & corpus verberans, ita dicebat: O miserum, & miserabile corpus, quandiù me miseram cruciabis? quousque tandem me retardabis a Christi conspectu? Quando tandem missam me facies, vt anima possit libera reuerti, & euolare ad creatorem suum? Væ tibi corpus miserrimum, & væ mihi, quod coniuncta sum tibi. Hæc & id genus alia dicens, tundebat pectus suum. At rursus corporis partens agens, dicebat spiritui: O anima misera, cur adeò me affligis? ecquidnam te retinet intra me, aut quidnam est in me, quod te delectet?

Ineius Vita c. 28.

ctet? Cur non pateris me redire in terram, vnde sumptum sum, vt illic quiescam, donec in nouissimo magni iudicij die tibi restituar? Quare non proficisceris ad requiem tuam, vt potioribus fruaris bonis in illis sedibus sempiternis? Hæc dicens, ducebat alta suspiria, & anhelo pectore lachrymas fundebat. Deinde paululùm quiescens, & cum silentio, & sancta meditatione in Deum syncerius incalescens, in dulcissimum risum soluebatur; appræhensosquè pedes manibus suis, cum ingenti affectu osculabatur plantas suas, ita dicens: O mihi suauissimum, & felicissimum corpus, cur ita te verberaui? cur his ego conuicijs te proscidi? An non mihi morigerum te præbuisti ad quæuis rectè facta, & bona opera, quæ Deo authore facienda suscepi? Tu certè cruciatus, & labores placidissimè, ac patientissimè tolerasti, quos spiritus à te exigebat: rursusquè oscula repetens, dicebat: Agè nunc comiter sustine optimum, mihiquè gratissimum corpus meum: aderit propediem finis laboris tui: iam in puluere requiesces, iam dormitabis paululùm: ac demum canente tuba, resurges omnis corruptionis expers, rursusque animæ sociaberis in illis gaudijs sempiternis, quam in hac vita mœroris, & doloris sociam habuisti. Talibus verbis, & osculis blanditer demulcens corpus suum, post horam in illud, quod diximus, admirabile iubilum prorupit, tantaquè in homine interiori iucunditate com-

complebatur, vt corpus eius rumpi videretur. Re vera mirabilis Deus in sanctis suis, & in Christina sua, vt ita dicam, super omnem admirationem mirabilis. *Simile quiddam extat de Virgine alia, dum sermo est de anima vna, quæ iam è custodia corporis exierat. Ea per ecstasim vidit animam, quæ paulò ante excesserat è corpore, viditque eam singulas sui corporis partes laudantem, atq; benignè appellantem, quòd sibi in diuino cultu obedientes fuissent. Eam deinde animam iucundè lætam, & exultantem manibus Angelorum efferri in Cælum vidit, post quàm extra caliginosam hanc regionem excesisset, conuersa retro facie respexisse relictum iam Mundum, & gratias egisse Deo, quòd ex tantis se fo fallacijs, atque miserijs exemisset, quantas hic versari ipsa videret.*

In vita B. Veronicæ Mediol. manuscrip.



DE

## DE CANTIBUS quibusdam inusitatis

### Caput XX.



*ÆC ipsa de Christinæ vitæ narratio monet, vt tradam aliqua de Cantibus illis, qui nonnunquam e cælo mortalibus auditi fuere; extatque de Christina ipsa conscriptum, eam nocturno tempore semel, in Templo morantem clausis valuis cecinisse voce tam Angelica, vt nulla talis humana esse vox posse videretur. Aliàs quoque, idest per Ecstasim resonare dictum est eius pectus amæniore quodam, ac iucundiore melo, quod latinis fuisse verbis scribunt ad carminis propè dimensionem. Hinc arrepta nos occasione quæremus, quatenus surdæ nostræ aures assequi possint; qualis sit ille cælestis musicæ sonus; quem Ecstatici sibi esse auditum affirmant. Harmonia verè ea est, descripta numeris, qui non corporis auribus, sed animi facultatibus percipiantur, sicut etiam reliqua animi visa. Ea superat ex communi Ecstaticarum sententia, omnium musicorum artes, atque concentus, in quibus partes quædam, atque dispositiones solent esse; ob quas cantus ipse perfectus dicitur. Eæ verò sunt huiusmodi, suauitas vocis, & gratia quædam, & verba selecta, & copulatio vocum, simulque distinctio, ne altera opprimat alteram, artificium quoque numerorum, & interualla iusta, silentiumque, & benè præparatæ aures eorum, qui ad audiendum adsint.*

Thom. Cátip. in eius Vita.

*ſint. Videndum nunc erit ex hiſce partibus, quænam ſint illæ, quæ in cœleſti cantu locum habere poſsint. Omnes ferè iſtas, aliaſque complures ibi eſſe credibile eſt, exceptis duabus, quibus cantum eum carere coniectura ipſa, & animaduerſio multorum docuit. Abſunt enim verba connexa inter ſe magno artificio, ſicuti narrauere mihi nonnulli, quibus ea audire contigit. Cadunt tamen verſuum inconditorum ritu, quod quomodo fiat, paulò poſtea demonſtrabitur. Abeſt item magiſtrorum ars illa communis, atque dimenſio in ſcholis tradita, ſed potius amœnitas quædam, & pius quidam ſonus exauditus eſt, quem etiam rudi ſua voce imitati ſunt illi, qui referebant quomodo ipſi audiuiſſent. Quam igitur ob cauſam in hoc diuinæ muſicæ concentu non reperiantur duæ illæ conditiones, verborum nimirum artificij, & cantus ipſius, ità tradere poſſe videmur, vt ſtatuamus, quemadmodum potuit Deus ſacras litteras longè altiore ſtylo compoſitas dare, ac voluit tamen omnes inde fallacias, omnemque artificij fucum amouere, ità in hoc cœleſti cantu factum eſſe. Ac tantò magis id dicimus, quia ſimplicitatem, atque puritatem hanc voluit Deus idem in Eccleſiaſtico cantu cuſtodiri, ac ſeruari, vt fracti nimiùm, molleſque numeri abeſſent. Poteſt etiam illa cauſa afferri, quòd Eccſtaticæ fermè imperitæ cantus eſſe ſoleant, ideoque velle Deum, vt cantus ille ſit ad ipſarum aures accommodatus. Quomodo igitur poterit perfectus ille cantus eſſe, ſi conditiones illæ duæ præcipuæ aberunt? Ad id ità reſpondetur, ſi in quotidiana illa hominum muſica reperiri poſſent conditiones*

*nes*

*nes omnes, exceptis duabus illis, tanta perfectione, quantam cœlestis ipse cantus habet, posse facile quemlibet considerare, qui stupor, & admiratio haberet audientes, si vocem ex Angeli ore fusam audirent ea gratia, & spiritu, qui proprius Angelorum esset. In qua quidem gratia, & spiritu, siue affectu, sciendum est, verborum sonum cum animi motu coniungi diuinitus in cantu illo, qui Ecstaticis exauditur, quod ipsum vulgata musicorum ars assequi non potest, nisi per verba simul, & sonum. Ex illo autem diuino motu nascitur postea inenarrabilis affectus, qualem nulla hominum artificia excitare possunt. Diuum Franciscum accepimus, audito tantùm cytharæ sono, propè esse exanimatum suauitate nimia. Quod fieri debuit non tam sono ipso, quàm affectus dulcedine, qua animus illius eo tempore delibutus fuit. Quòd verò attinet ad gratiam ipsam, amœnitatemque cantus, ea tanta esse debet, vt explicari non possit; quæ quidem amœnitas, & gratia tanti momenti est, vt etiam in cantibus illis, quos nostri musici modulantur, omnia ferè contineat, additaque, vel adempta, optimum, pessimumquè carmen efficiat apud audientium aures, & animos. Cur etiam Ecstaticà, cantus illos cœlestes non esse similes humanis dicant, videamus; Id ego fieri arbitror ipso vocum discrimine, & differentia, nam si tantum est inter humani oris vocem, & instrumenti, siue organi alicuius sonum, quam tandem arbitrabimur suauitatem esse soni illius, qui fit ab omni materiæ contagione secretus, purusque, & liber ab impedimentis illis, quæ hominum membra*

*secum*

*ſecum afferre ſolent? Ac ſi fas eſt, coruos æquiparare cygnis, narrauit aliquando mihi magnus muſicæ artis magiſter ſe, & alios, audita forte vnius voce, qui caneret ad tybias, ac nomine Sophias appellaretur, propè eſſe alienatos à ſenſibus ob cantus ſuauitatem. Eundem poſtea tibicinem, dum canere pergeret, minus fuiſſe mirabilem, quàm prima modulatione fuiſſet. Id non debuit ob aliam cauſam fieri, quàm ob gratiam, & affectum, & quendam ſpiritum propè diuinum, ac cœleſtem.*



DE



# DE VERA ET OCCVLTA SANCTITATE
## LIBER SECVNDVS.
### DE VARIIS SOLICITVDINVM temporibus.
### Caput I.



NVNC ab lætis ad mœsta transeundum erit, duriorque tractanda res; angustiæ nimirum, & opprobria, morbique tam animi, quam corporis; in qua quidem disputatione manifeste apparebit, Pythagoricum illud vere esse dictum; Nihil hic purum, mista contrarijs omnia. Ac sane liquido apparet, versari nos in media tempestate, medijsque fluctibus; neque montem hunc esse Olympum, quo ne ventos quidem importunos adspirare fabulati sunt Poetæ, quibus ventis cineres dissiparentur, ex quibus nostra hæc membra constant. Loquemur de varijs

Ex Iambl. in Vit. Pyth.

*rijs angustiarum temporibus, ac de diuersa earum qualitate, statuemusque tria tempora in hunc modum. Primum tempus, abundantiæ tempus dicetur, secundum inopiæ, tertium quietis, & pacis. Primum tempus hasce continet conditiones, & qualitates. Plerique homines cùm incipiunt rectè agere, sunt firmis viribus, & robustis, itaut quidquid agere incipiunt, leue illis, facileque videatur, expedito cursu progrediuntur, secundoque vento, & velis explicatis. Eo tempore vehementissimæ interdum tentationes, atque solicitudines oriuntur, sed nequaquam eæ tàm malignæ sunt, habenturque febrium ardentium instar, quæ mortem non afferunt, ac facile depellet eas veluti iuuenilis nostræ mentis vigor; atque etiam, quia tunc animus valde allicitur nouitate nunquam antea visarum rerum, quæ se se offerunt in hoc spiritus theatro. Insuper in primo statu spiritus ipse neque purus est, neque moderatus, neque constans. Tentationes verò, vel aliæ molestiæ, sicuti diximus, sunt specie maiores, quàm re ipsa, præ eo, quod postea futurum est; suntque paruæ, & à malis habitibus ferme progressæ, vel ab re aliqua extrinseca, interdum à Dæmonibus ipsis. Sed curnàm diximus, non esse tentationes primi status admodum malignas? Rem ità consideremus. Natura nostra pessima in more habet, vt nitatur in vetita; adsperitasque ipsa vetitarum rerum magis cognoscitur tempore procedenti, cùm id magis aduersetur libertati. Præterea, pugnare cum tentationibus nihil aliud est, quàm pugnare cum ipsa deprauatione naturæ, occasionesque*

Primum tempus.

Pugna cũ tentationibus.

*sionesque pugnandi sunt semper tantò plures, quantò magis progreditur ætas. Etiam motus gratiæ initio consociantur cum naturæ motibus; quæ natura cum non agat, prout appetitus suus postularet, imitatur motum, qui violentus dicitur, qui, sicut Philosophi aiunt, semper est firmior, atque potentior circa initia, quàm circa finem. Ex quà consideratione colligimus, non esse tantò facienda, quantò sunt quædam incipientium opera; neque tantos ad ea tolli clamores oportet, quantos tolli animaduersum à me aliquando fuit, quoties aliqua simplicitas eorum, & puritas, & innocentia perspecta erat. Imò dicam hoc sinceritate, quæ propria nostrorum sermonum est, non debere Magistros, qui in spiritus via gubernandos aliquos sumpsere, tam liberè vaticinari de futura talium perfectione. Nàm admodum incerti sunt progressus, longumque vitæ iter, & rari ad finem vsque perseuerant, ac sæpe etiam celebratæ Discipulorum laudes ad occultam aliquam Magistri gloriam redundare possunt. Cur autem religiosi tyrones, aliique æquali cursu non procedant in incœpto virtutis itinere, satis alibi explicasse videmur in Libro, quem de hoc genere instituimus. Nunc de secundo tempore, quod affert secum experimenta, quæ diuinæ manus in nos mouent; quæ tunc manus grauiores esse solent, & vrgere nostrum animum incipiunt; omneque gaudium luctu, & amaritudine commutatur, & animi nostri caminus refrigescit, crescuntque tentationes; & auxilium cœleste planè subtractum esse videtur. Quæ sanè experimenta dura, & aspera appellari possunt;* Secundum tēpus.

*ſunt; gemitque, & fremit ſub pondere animus, & quaſi moritur non vna, ſed multiplici, & quotidiana morte; & quod acerbius eſt, patitur Deus incidere nos in eas culpas, quas initiò perhorruiſſemus. Animi ſerenitas obducta nubibus eſt; & maria intumuere, procellæque obſcuræ ita cingunt animam, vt noctem viuere plenam ſuſpiriorum, & calamitatum videamur. Tunc animus ipſe mœſtas haſce fundit voces; Quò iam abiere lætitiæ noſtræ, & lacrymæ plenæ ſuauitatis? Quò amores, & monumenta victoriarum? Atque inter malorum radices, & originem numerare licet refrigerationem ipſam intimi noſtri feruoris. Ac tunc afficitur ob ſuperioris temporis luctas, naturale temperamentum, ſatietaſque interdum nonnulla ſuperuenit, quæ magna pericula ſecum affert, ſimulque tentatio creſcit, fitque maior, atque violentior vel Dæmonum arte, vel permiſſu diuino. Sed ſicuti tempus hoc ob ea, quæ diximus, triſte, atque ærumnoſum eſt, ità diuerſa habet bona: nam prudentia tunc, & temperantia confirmantur; acceditque ſecuritas quædam aduerſus extrema illa, maiorque conſtantia, & perfectio, & meritum ingens adeſt, licet pugna ipſa grauì, magnoque periculo non careat. Sequitur tertium tempus, quo tempore poſt longam expectationem, extremaſque neceſſitates benigna rurſus fronte Numen adeſt, ventique conticeſcunt, & ex turbido tranquillus dies effulget interea, dum in hiſce mortalium rerum aculeis verſamur; ac tunc veluti fornacibus aurum probatur, ita excolitur animus noſter, ac ſolito vehementiùs inſurgit,*

Tertium tempus.

*git, neque vacillat amplius, & labat; quæ perseuerantia deinde secum affert innumerabilia dona, gratiæque cœlestis copiam, qua vincuntur facile tentationes, & minore spacio inualescunt, ad pacem animi nostri perturbandam. Aiebat vtique peritissimus harum rerum vsu amicus noster, consueuisse Deum etiam perfectæ sanctitatis hominibus veluti rodenda quædam ossa præbere, vt verbis illius vtamur. Atque grauitas illa, siue pondus est veluti saburra nauis, cuius pondere seruatur illa, ne leuitate sua demergatur. Rursus tamen iisdem angustiis magnæ sæpe teguntur hominum virtutes, ac veluti nubes lumini solis officiunt, multorumque sanctitatem in hominum oculis obscurauere, durantque per multos interdum annos, ac sæpe sunt atroces ad ferendum, non solùm quia propter causarum obscuritatem remedio carent, sed etiam quia places ita diuinæ Maiestati; qua subtrahente solatia, & opem vniuersam, nullus vlterà relinquitur humanæ prudentiæ locus. Sed fortasse petat aliquis, an hæc semper ità sint vti perscripta, ac definita. Non vult Deus minor esse humano intellectu, atque ideò sunt impenetrabiles illius æternæ prouidentiæ viæ, itineraque admodum inter se se diuersa, sed vt plurimum ita fit, sicuti ego memoraui.* Amici dictum.

## INSIGNIA EORVM exempla, qui depressi, atque deiecti diuinitus fuere.

### Caput II.



*T quoniam inter omnes miserias quædam existunt eiusmodi, vt diuino consilio, diuinaque manu facta, & immissæ videantur ad homines deprimendos, de hoc genere dicimus, varium illud esse, & multiplex, omnique semper tempore inter homines ea exempla spectata esse. Ac veluti Princeps* Mosis casus. *hominum depressorum ipse fuisse Moses videtur, cui* Num.10.n.12. *dictum est, non fore vt Populum duceret in Terram promissionis, quia manca, & debili fuisset fide; & cùm hæc ipsa promissa Terra subijceretur illius oculis, dictum ei est, fore vt Iosue ductor esset, extatque scriptum, hanc ei pœnam fuisse constitutam, quia in* Num. 27.n.14. *deserto non sanctificasset Deum perinde atque debuerat, vbi scaturigines aquarum apparuere. Ac tanta fuit ira Dei propter eam rem, vt diuinam huius-* Deut. 3. n. 26. *modi vocem audiret;* Nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me; *& quò magis perturbatus, atque confusus relinqueretur, iussit eum in montem ascendere, vnde prospectus in Terram ipsam promissam pateret. Quod quanta perturbationis fuerit in Mosis animo, Psalmi centesimi quinti verba satis declarant. Sed quamuis tàm grauis fuerit pœna, non ideò statuere possumus, curnàm ea pœna sancto viro*

 *iniun-*

*iniungeretur. Nam dicunt aliqui, nimis asperè Mosem, & rigidè castigasse Populum in ea re; quod probabile non videtur. Aiunt alij, mandatum fuisse diuinum; vt imperaret ipsi petræ Moses, vt ipsa effunderet aquam; quod ipse propter exiguam fidem non fecerit, percusseritque virga; atque id significare videntur eiusdem Capitis verba illa;* Eò quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Num. 20. *Alij verò benigniùs commentantur, aiuntque non peccasse Mosem, sed torpore quodam, ac tædio victum, a fortitudine, & robore animi sui desciuisse. Sanè casus iste Mosis videtur fuisse miserandus, qui diuini obsequij causa tàm multa egisset, Populo imperitans illi, cui imperare, seruire ipsum erat. Alij quoque antè Mosem, illius Populi Principes, vt Noe, Abraam, Isaac, & Iacob varijs modis aliquo diuino, sed non tàm aspero nutu depressi fuerunt, ac præcipuè Isaacus, qui cùm esset vates, aduentumque Saluatoris cognouisset, non potuit dignoscere filios suos,* Gen. 26. n. 4. Gen. 27. n. 1. *atque in ea re deceptus est. Proprium hoc est Dei seruorum, qui in alijs rebus magni, & inclyti habiti sunt, in alijs famam apud homines vniuersam amisere. Quamobrem considerari oportet, id quod nostræ legis temporibus Beato Chrysostomo accidit. Is in epistola ad Olimpiadem hæc scribit; Bono esset animo,* Tom. 5. Epist. 4. *nàm se rediturum omninò, idque sperandum esse sibi ob diuinam benignitatem, quæ nisi in magna illa ærumna opem ferre pararet, non factura fuisset, vt in calamitosis alijs sæpe rebus tantopere ipsum adiuuaret. Quibus dictis, Chrysostomus tamen ipse non*

rediit,

*rediĳt, exulque suam obiĳt diem, cuius referam verba, quia multum elegantiæ, multumque iucunditatis ad spiritualem animi fructum habent*; Quòd si tibi mœroris causam id affert, quòd à nobis seiuncta sis, huius etiam rei lætum finem expecta. Atque hoc non consolandi animi tui causa nunc dico: Sed quia exploratum mihi est ita fore. Nam nisi ita futurum esset, iampridem, nisi me longè opinio fallit, quantum quidem ad illatas mihi calamitates attinet, è vita cessissem. Vt enim etiam omnia, quæ Constantinopoli perpessus sum, prætercam, quanta posteaquam ex vrbe excessi, in tam longo, ac molesto itinere pertulerim (quorum multa erant eiusmodi, vt mortem afferre possent) quanta, postquam huc veni, quanta, postquam Cucuso migraui, quanta denique postquam Arabissi commoratus sum, intelligere tibi licet. At hæc omnia effugimus, ac nunc percommoda valetudine vtimur, atque in magna securitate sumus: adeò vt Armenij ad stuporem vsque mirentur, me in tam imbecilli, & quauis aranea tenuiore corpore, tam intolerandam frigoris vim perferre, ac spiritum ducere posse, cùm ij etiam, qui hyemi assueti sunt, hinc non vulgarem in modum afficiantur. Atque nos ad hunc vsque diẽ illæsi, atque incolumes mansimus: idque cùm & prædones, quorum manus effugimus, sæpe in nos impetum fecerint, & rerum necessariarum inopia laboremus, ac ne balneo quidem vti

no-

nobis liceat. Atqui, cum istic degeremus, eo nobis assiduè opus erat. Nunc autem in eum statum, atque habitum euasimus, vt ne huiusmodi quidem solatij cupiditate teneamur, verùm maiorem sanitatem consecuti simus, quàm vt illud adhibere necesse habeamus. Ac nec Cœli intemperies, nec locorum solitudo, nec rerum venalium angustia, nec eorum, à quibus curemur, inopia, nec medicorum inscitia, nec balneorum penuria, nec quod perpetuò in cubiculo tanquam ergastulo clausi teneamur, nec quod progredi, ac corpus mouere nequeamus (quod quidem nobis assiduè facere necesse erat) nec quod nobis semper cum fumo, atque igne res sit, nec prædonum metus, nec perpetua obsidio, nec denique quicquam aliud huiusmodi nos fregit, ac superauit: verùm melius, commodiusque, quam cum istic essemus, adhibita tamen ingenti cura, valemus. *Et ipsa verba, quæ retuli ad multas animi nostri necessitates opportuna esse possunt, atque sicuti dictum est, magnos spiritualis iucunditatis fructus habent, atque insuper ostendunt quàm parcè, ac restrictè Deus agat cum hominum genere in reuelandis prouidentiæ suæ arcanis. Quippe Diuo Ioanni Chrysostomo patefacere noluit ea, quæ ipsi parabantur, pastori scilicet populorum, doctori gentium, Græcæ, ac Christianæ facundiæ principi, cuius vita, & caput agebatur. Atque hinc apparet quàm grauiter, & verè sit ab Apostolo dictum, munera cœlestis gratiæ diuersa esse, & variè mortalibus impertiri. Neque cuiquam temerè sperandum erit ex*

D. Bernardus epist. 256. ad Eugen. Papã. Et Epist. 246. Et Epist. 322. Et lib. 2. de cõsideratione in princip. Et Goffridus in vita S. Bernardi libr. 3. cap. 4.

Epist. 333.

Gaufridus in eius vita.

*eo, quod aliquid cæleste impetrarit; omnia sibi delapsura esse in sinum. Magna quoque debuit esse Diui Bernardi solicitudo, magnusque mæror, vbi Ierosolimitanæ expeditionis infelices euentus accidere, quàm ipse suaúisset, eguitque propter eam rem consolatione amicorum, ex quibus Ioannes Abbas dixit, oblatam esse sibi visionem, quæ indicaret id bellum fuisse saluti quàm plurimis, ac sæpe tales hominum strages fieri diuinitus, vt animarum saluti consulatur. Etiam Christina illa, de qua antea narrauimus, gestiuit ob magna Christianorum damna, ex quibus magnum existere fructum videbat. Ludouicus etiam Galliæ Rex ob merita sanctus appellatus, cum satis felicibus initijs ad eandem Ierosolimitanam expeditionem profectus esset, exercitum, quem domo maximum aduexerat, minimum reduxit, famesque, & morbi, & barbarorum insidiæ ex duobus, & triginta millibus, sex tantum millia reliqua fecit, ac denique Rex ipse, cum fratribus duobus captus est, & cum posset aufugere, maluit capi, quàm tantum numerum captiuorum ibi relinquere. Sed fortasse quærat aliquis, cur tantum damni sit acceptum, permittente Deo. Est vtique temerarium ità interrogare, nec minor temeritas erit, siquis respondere volet, sed aliquam vtique afferre causam ex innumerabilibus multis possumus, quæ rationem huius occultissimæ permissionis ostendat. Nam sicuti per martyrium tàm multi gloriam adepti sunt, ità diuina sapientia temporibus fortasse illis, cessante martyrio, voluit salutem parare varij generis hominibus; gloriæque partem ipsis per bella illa parare, quæ*

*bella*

*bella antè Diui Ludouici ætatem, atque adeò postquam ille decessit, pro Ierosolima gerebantur. Atque is casus Diui Ludouici memoriam illustrauit, fuitque ea res inter merita, ob quæ sanctus est appellatus, atque ità, & ecclesia honorem illum, & stemmata regum eum triumphum habuere. Diuus etiam Franciscus adire Ægyptium Sultanum voluit, estque ab eo derisus, & illusus, neque magnum fructum reportauit. Extrema est vecordia, siquis hæc audiens, siue legens exempla, diuina iuditia non admiratur, quæ sicuti libri loquuntur omnes, impenetrabilia sunt humanæ menti. Depressiones autem istæ maximè circa vitæ finem contingunt, animæque acceptæ Deo ex huius mundi pelago discedunt sub pondere illo, tutosque portus ineunt, nè gloriæ inanis ventus perniciosior, quàm multi credunt, ipsos fortasse demergat. Est enim eiusmodi ventus, qui demergere posset etiam illos, quos plerique extrà periculum omne positos esse arbitrantur. Fateor ego multorum annorum spacio me attentissime versatum in huius meditatione rei, magnaque solertia speculatum huius diuinæ prouidentiæ vestigia, ità comperisse, fœlicissimos homines, Deoque acceptissimos calamitate aliqua semper ferè fuisse correptos, cùmqua peruenerint ad vitæ finem. Quod si finis alicui prosperus contigit, id factum est, quia reliquæ vitæ cursu tanta infortunia, tantasque calamitates experti fuerant, vt vellet Deus quietum illis exitum dare, sicuti Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Hilario, & Hieronymo Sanctissimis viris euenit. Diuus vtique Augustinus à primordio suæ conuersionis fœ-*

Lib. 1. Chron. cap. 55. & 56.

*licissime egisse videtur, vnusque ferè omnium extra communem illam conditionem fuisse. Tunc scilicet discessit ex hac vita, cum in vltimas, extremasque miserias, vna cum Hippone sua casurus esset; ac nisi temeritatis nimiæ sit vlteriora perquirere, dicere possumus, debitum fuisse fortasse mansuetissimo huius animo singulare hoc præmium. Atque mansuetudo eius tanto admirabilior fuit, cariorque Deo, quo magis ille tàm in actionibus suis, quàm in monumentis ingenij miscere potuit eandem grauitate sententiarum, & verborum acrimonia, subtilitateque disputandi, atque etiã argumentorum violentia.*

## DE SINGVLARIBVS alijs depressionibus.

### Caput III.

*NEC solùm humana intelligentia, captusque dubius, & infirmus est ad ea cognoscenda, quæ facere Deus paret, sed etiã improuida eadem ad cognoscenda, & distinguenda instrumenta, quibus artifex ille cælestis in suis rebus, operibusque diuinis vti destinauit. Natura enim rerum, ipsique homines etiam alligati sunt certis quibusdam, definitisque legibus, & quasdam suas tenent vias, à quibus aberrare ferme non possunt. Sed non ità adstricta est, siue alligata Numinis potentia, quæ sicuti animaduertere, ac tradidere sapientes viri, sæpe tenuissimis, humillimisque*

*rebus uti voluit, ut earum instrumento se se mortalibus indicaret. Atque propter hanc causam, itemque ad deprimendam hominum superbiam, occultandamque aliquorum sanctitatem, & gloriam, debiles ex fortibus fecit, & qui debiles erant, eos insuperabili fortitudine armauit. Fortes autem istos non semper voluit videri tales; estque operæ pretium Palladij verba de Abbate Beniamino cognoscere, qui capitis eiusmodi morbos, cui remedium nullum inueniretur, habebat eam vim è cælo, ut morbos aliorum depelleret, quamuis insanabiles aliqui, & inueterati. Extat etiam nobilis historia de Paulo, qui simplex est appellatus. Is obsequij erga Deum sui, magnæque simplicitatis merito, in tantam diuinæ gratiæ altitudinem euectus erat, ut plura, & maiora miracula per eum fecerit Deus, quàm per magnum Abbatem Antonium, in cuius disciplina Paulus ipse agebat. Estque apud Sozomenum de Paulo Simplice, potentiorem eũ ad fugandos Dæmones fuisse Magistro suo Antonio. Accidit autem aliquando, ut cùm infinita prope hominum multitudo ad Paulum hunc accederet petendæ salutis causa, verereturque Abbas Antonius, ne tanta illa hominum multitudo premeret, atque elideret debile Pauli corpus, iusserit eum in deserti interiora se se abdere, ne reperiretur. Quod cum ille fecisset, Antonius ipse succedebat in illius locum, & accipiebat eos, qui à Paulo sanari voluissent. Quòd si aliquos ipse fortè sanare non potuisset, iubebat eos ad Paulum ire, à quo deinde illi salutem accipiebant. Nonne diuina hæc arcana sunt? Nonne disciplina*

Palladius in Hist. SS. Patrũ Sect. 25.

Sozomen. lib. 1. c. 13. Hist. Eccl.

Palladius in Hist. SS. Patrum, in Vita Pauli Simplicis. c. 28.

*humilitatis? Magni Antonij sanctitas, à qua tot Monacorum familiæ proseminatæ erant, nonne obscurari visa est quodammodo, cùm per omnes terras alioqui clara, inclytaque esset? Gloria etiam longè maior, alterius hominis planè diuini, sanctiorisque, quàm Antonius ipse fuerit, visa est abscondi, & tegi, sicuti verba ipsius hæc declarant; Ait enim ità de se ipso;* Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Atqui fortissimus ille erat, probabileque est talia munera ipsum alijs obtinuisse, cùm ipsi clausa ianua cœlestes viderentur, cœlumque ipsum æneum, & terra ferrea, sicuti sacræ litteræ habent, quodammodo omnia illi negaret. Neque dubitare possumus, qua de causa id factum fuerit, cùm ipse affirmet esse factum, ne magnitudo reuelationum nimis extolleret animum suum. Interdum etiam sapientia diuina diuersam viam humilitatis admouet hominum generi, quæ via asperior est, & velusti obsita spinis, per quam viam immittuntur nobis non solùm ærumnæ aliquæ sine vlla intermissione, sed etiam ignominia illis adiuncta est. Et istæ quidem, vel difficultate superandi, vel amaritudine sua magnoperè differunt à communibus alijs, sicuti alibi esse à me demonstratum puto, allato etiam memorabili exemplo Henrici Susonensis; neque repetere eadem necesse est. Similis casus est apud Euagrium, & apud*

2. Corint. 12. nu. 7. 8. & 9.

Deuteron. 28. nu. 23.

*Meta-*

Metaphrastem in Eugenij, & Mariæ vita. Neque dissimile est id; quod in vita Simonis Sali narratur à Leontio Scriptore. Item in Diuæ Theodoræ vita; & in vita Diuæ Margaritæ; quæ Pelagius dicta est; talia quædam extant. Lib. 4. cap. 35. 8. Februarij. In eius vita cap. 28.

CVR DEO PLACEAT; VT illi, quos carissimos habet, velut affixi Cruci torqueantur.

Caput. IV.

EX quibus acerbissimis casibus, ac veluti amarissimis cibis, quos Deus amicis suis plerumque apponit; consentaneum est inquiri; cur nam ità Deo placeat; vt suos veluti in varias ærumnarum Cruces sublatos interdum velit. Ego animaduertere videor nouam legem, quæ à plurimis antiqua lege mitior existimatur, nonnullam habere maiorem asperitatem in eo, vt sectatores suos innumerabilibus ærumnis affligat: atque contemplari lubet, quàm verè id dicatur. Diù fuit perfectissimis, sanctissimisque viris præmium amplum, ad tormenta duci, agique; vitatis autẽ tormentis, & elapsa moriendi occasione, protinus ad deserta loca se se conferebant; atque ibi solatium ingens erat torreri flagrantissimi solis radijs, arenisque demergi fluctuantibus; sepeliri antris, ac viuere sine cibo, ferarumque instar propriam pellem habere pro tegumento aduersus feras ipsas, & aduersus

anni

*omni incommoda. Postquam autem rediere Christi fideles tanquam ab exilio communi, atque restituti sunt in Ciuitatem, nulli alij sermones inter eos erant, quàm de sensibus domandis, corporeque lacerando verberibus, & cilicijs, & vigilijs, peregrinationibus, orationeque perpetua, Lex autem ista, quæ talia iubet, quærimus nos cur ita præscribat. Hanc in præsentia causam, & rationem attulisse satis erit. Sciendum est, Diuinam Maiestatem omni semper tempore exegisse ab hominum genere sensum amoris, ac pietatis; quæ pietas, & amor ea est natura, & conditione, vt difficile admodum cognosci posit magnitudo ipsius, cæteraque conditiones. Nec possunt aliter cognosci, quàm per effecta, quæ proficiscuntur ab amore ipso, & ab eius essentia, sicuti sol ex radijs cognoscitur. Affectus autem hic, generatim loquendo, cum sit in duplici genere, diuino nempe, & naturali, profert, atque gignit varia effecta, quorum præcipua sunt trium generum, cogitationum nempe, & verborum, & operum; atque inter effecta, & signa, cogitationes locum vltimum tenent; ac posita sunt in medio verba, & denique opera ipsa sunt efficaciora, & veluti spiritu, & viuacitate quadam multò magis amorem hunc demonstrant. Præterea inter opera, quæ sunt diuersæ naturæ, illa, quæ plus difficultatis habent, sunt etiam amoris nostri testimonia certiora: ac deinde inter opera omnia, asperiora sunt, & difficiliora, taliaque habentur ea, quæ perpessionem continent aliquam, atque dolorem, quàm ea, quæ voluptates, & res iucundas adiunctas sæpè habent. Atque ideò summus Philosophorum aiebat,*

Amor, & pietas.

Aristot. lib. 3. Ethic. cap 9.

*sum-*

*summum, & altissimum fortitudinis gradum positum esse magis in perferendis calamitatibus, quàm in rebus alijs efficiendis, quæ felicissime à nobis, ac suauissime peraguntur. Vt autem ea, quæ dicta sunt, ad pauca redigamus, possum ego demonstrare, quemadmodum placeat magis Deo videre electos suos veluti Cruci affixos, quàm varijs bonis abundantes. Sunt enim Cruces illæ certissima signa, & testimonia diuini amoris. Ideo Hermannus Canonicus Steinueldensis, cum in faciendo Sacro, multum temporis consumeret, tædia, & susurri oriebantur, audiebanturque etiam querelæ ob candelas, quas mora illa absumebat. Ille tamen ferebat cuncta patienter: quæ sic proposui, vt intelligat vnusquisque, quales interdum angustiæ hominibus pijs, permissu diuino, subeundæ sint. Vt autem tantum temporis in re diuina consumeret Hermannus, efficiebatur ecstasi, cui obnoxius ille erat. Quamobrem in forti homine perpessio rerum arduarum gloriosior est, quàm actio, sicut ante dictum est, amandique verbum qui primus vsurpauit, patiendi vim, atque significationem huic inesse verbo credidit, & rursus patiendi verbo significationem inesse amoris idem existimare debuit. Cui loco, & sententiæ congruunt sacrarum litterarum authoritates, ex Deuteronomio, ex Exodo, & Libro Iudicum, alijsque præterea locis, quos innuisse satis habemus.*

Electorum Cruces.

In eius vita scripta per Sodalem.

Deuter. 8. n. 2. Exod. 20. n. 20. Iud. 2. nu. 22.

X DE

## DE CORPORIS MORBIS.

### Cap. V.



*TQVE vt ea, quæ diximus, magis confirmentur, si alijs præterea argumentis opus esset, possent afferri dolores, & lacrymæ acerbissimæ, durique gemitus ægrotantium, qui diutissime sub flagello diuino agunt infelicem vitam. Eorumque maximè virtutes animi, & merita occultantur, dùm corporis calamitates omnibus patent. Cur autem id Deus agat, inquirere non est opus, sed possumus vtique dicere, accidere multis id, quod Petronillæ paralyticæ filiæ Diui Petri euenit, cui Pater noluit donare salutem, donec tempus veniret illud, quo tempore opportunam filiæ salutem cognosceret; postquam nimirum ad altiorem sanctitatis gradum peruenisset: quo deinde tempore non solùm ea adepta est salutem, sed precibus suis id ipsum donum alijs impetrabat. Cùm autem hi morbi proficiscuntur ab diuina voluntate, ità occultant ægrotantium merita, vt vix quomodo id fiat, suspicari possimus. At velim, vnumquemque considerare verba illa Apostoli, quæ attulimus alio loco, quibus verbis ait, datum esse sibi stimulum carnis, à quo affligeretur humilitatis causa, & vt diuina munera, quibus abundabat, occultarentur. Qui stimulus, vt plerique doctores aiunt, corporis morbus fuit. An igitur corporis morbi tantam vim habent, vt possint etiam magnanima, & fortissima corda labefactare?*

In vita Nerei, & Achillei c. 9.

D. Hier. in c. 4. ad Galat. nu. 13.
D. August. in Psalm. 130.

*Accidit*

*Accidit autem occultis quibusdam causis, vt homines religiosi, atque timentes Deum præter cæteros huiusmodi morborum importunitatem experiantur. Neque sanctitas eorum valet ad diminuendam calamitatem, volente Deo eos affligere, & excruciare. Ob quam necessitatem ne prudentia quidem satis loci habet. Neque attinet in tali tempore ex Pythagoræ disciplina credere; Nihil inexpectatum posse accidere viro sapienti, prouidereque, & expectare omnia. Vult enim Deus ipsos pati grauia supplicia, atque assequi finem eum, qui morbis eiusmodi propositus est. Quamobrem magnopere vituperandi sunt, ac ferme in numero malignorum habendi, qui offenduntur, aut admirantur, cum acerbas querimonias audiunt ægrotantium, etiam si sancte vixerint. Nam si isti damnant absque causa, & insectantur aliorum famam; crediderim ego damnaturos etiam Iobi ipsius innocentiam, quæ tanta fuit, vt Deus ipse nihil ex eius ore prodiisse peccati profiteretur. Atqui legimus ipsius lamenta, & querimonias, quibus nullæ maiores esse possint, nec ob incommoda tantùm alia accepta diuinitùs, sed ob plagarum præcipuè dolorem. Non est igitur temerè de aliena patientia iudicandum; nam reperies aliquos, qui verborum modestia extrinseco habitu se se patientes præbent, interiore autem sensu, tacitisque consiliis sunt impatientissimi omnium. Atque etiam interdum pro diuersitate temperamenti reperiuntur qui absque vlla virtute carent iracundia, qualem fuisse Pythagoræ animum existimo, de quo Iamblicus refert, eodem semper animo, & vultu perstitisse læto. An*

D. Basilius in Regulis fusius disputatis, interrogat. 55.

Ex vita Pythagoræ collecta ex Iamblico.

Iob. c. 1. n. 22.

Pythagoræ patientia.

*igitur*

D. Bernardus epist. 256. ad Eugen. Papã. Et Epist. 246. Et Epist. 322. Et lib. 2. de cõsideratione in princip. Et Goffridus in vita S. Bernardi libr. 3. cap. 4.

*eo, quod aliquid cæleste impetrarit; omnia sibi delapsura esse in sinum. Magna quoque debuit esse Diui Bernardi solicitudo, magnusque mæror, vbi Ierosolimitanæ expeditionis infelices euentus accidere, quàm ipse suaùisset, eguitque propter eam rem consolatione amicorum, ex quibus Ioannes Abbas dixit, oblatam esse sibi visionem, quæ indicaret id bellum fuisse saluti quàm plurimis, ac sæpe tales hominum strages fieri diuinitus, vt animarum saluti consulatur. Etiam Christina illa, de qua antea narrauimus, gestiuit ob magna Christianorum damna, ex quibus magnum existere fructum videbat. Ludouicus etiam Galliæ Rex ob merita sanctus appellatus, cum satis felicibus initijs ad eandem Ierosolimitanam expeditionem profectus esset, exercitum, quem domo maximum aduexerat, minimum reduxit, famesque, & morbi, & barbarorum insidiæ ex duobus, & triginta millibus, sex tantum millia reliqua fecit, ac denique Rex ipse, cum fratribus duobus captus est, & cum posset aufugere, maluit capi, quàm tantum numerum captiuorum ibi relinquere. Sed fortasse quæras aliquis, cur tantum damni sit acceptum, permittente Deo. Est vtique temerarium ità interrogare, nec minor temeritas erit, siquis respondere velet, sed aliquam vtique afferre causam ex innumerabilibus multis possumus, quæ rationem huius occultissimæ permissionis ostendat. Nam sicuti per martyrium tàm multi gloriam adepti sunt, ità diuina sapientia temporibus fortasse illis, cessante martyrio, voluit salutem parare varij generis hominibus, gloriæque partem ipsis per bella illa parare, quæ*

Epist. 333.

Gaufridus in eius vita.

*bella*

*bella antè Diui Ludouici ætatem, atque adeò postquam ille decesſit, pro Ierosolima gerebantur. Atque is casus Diui Ludouici memoriam illuſtrauit, fuitque ea res inter merita, ob quæ sanctus eſt appellatus, atque ità, & eccleſia honorem illum, & ſtemmata regum eum triumphum habuere. Diuus etiam Franciſcus adire Ægyptium Sultanum voluit, eſtque ab eo deriſus, & illuſus, neque magnum fructum reportauit. Extrema eſt vecordia, ſiquis hæc audiens, ſiue legens exempla, diuina iuditia non admiratur, quæ ſicuti libri loquuntur omnes, impenetrabilia ſunt humanæ menti. Depreſſiones autem iſtæ maximè circa vitæ finem contingunt, animæque acceptæ Deo ex huius mundi pelago diſcedunt ſub pondere illo, tutoſque portus ineunt, nè gloriæ inanis ventus pernicioſior, quàm multi credunt, ipſos fortaſſe demergat. Eſt enim eiuſmodi ventus, qui demergere poſſet etiam illos, quos plerique extrà periculum omne poſitos eſſe arbitrantur. Fateor ego multorum annorum ſpacio me attentiſſime verſatum in huius meditatione rei, magnáque ſolertiá ſpeculatum huius diuinæ prouidentiæ veſtigia, ità comperiſſe, fœliciſſimos homines, Deoque acceptiſſimos calamitate aliqua ſemper ferè fuiſſe correptos, eùmqua peruenerint ad vitæ finem. Quod ſi finis alicui proſperus contigit, id factum eſt, quia reliquæ vitæ curſu tanta infortunia, tantaſque calamitates experti fuerant, vt vellet Deus quietum illis exitum dare, ſicuti Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Hilario, & Hieronymo Sanctiſſimis viris euenit. Diuus vtique Auguſtinus à primordio ſuæ conuerſionis fœliciſſime*

Lib. 1. Chron. cap. 55. & 56.

*licissime egisse videtur, vnusquè ferè omnium extra communem illam conditionem fuisse. Tunc scilicet discessit ex hac vita, cum in vltimas, extremasque miserias, vna cum Hippone sua casurus esset; ac nisi temeritatis nimiæ sit vlteriora perquirere, dicere possumus, debitum fuisse fortasse mansuetissimo huius animo singulare hoc præmium. Atque mansuetudo eius tanto admirabilior fuit, cariorque Deo, quo magis ille tàm in actionibus suis, quàm in monumentis ingenij miscere potuit eandem grauitate sententiarum, & verborum acrimonia, subtilitateque disputandi, atque etiã argumentorum violentia.*

## DE SINGVLARIBVS alijs depressionibus.

### Caput III.



*EC. solùm humana intelligentia, captusque dubius, & infirmus est ad ea cognoscenda, quæ facere Deus paret, sed etiã improuida eadem ad cognoscenda, & distinguenda instrumenta, quibus artifex ille cælestis in suis rebus, operibusque diuinis vti destinauit. Natura enim rerum, ipsique homines etiam alligati sunt certis quibusdam, definitisque legibus, & quasdam suas tenent vias, à quibus aberrare ferme non possunt. Sed non ità adstricta est, siue alligata Numinis potentia, quæ sicuti animaduertere, ac tradidere sapientes viri, sæpe tenuissimis, humillimisque*

*rebus*

*rebus vti voluit, vt earum instrumento se se mortalibus indicaret. Atque propter hanc causam, itemque ad deprimendam hominum superbiam, occultandamque aliquorum sanctitatem, & gloriam, debiles ex fortibus fecit, & qui debiles erant, eos insuperabili fortitudine armauit. Fortes autem istos non semper voluit videri tales; estque operæ pretium Palladij verba de Abbate Beniamino cognoscere, qui captus eiusmodi morbo, cui remedium nullum inueniretur, habebat eam vim è cœlo, vt morbos aliorum depelleret, quamuis insanabiles alioqui, & inueteratos. Extat etiam nobilis historia de Paulo, qui simplex est appellatus. Is obsequij erga Deum sui, magnaque simplicitatis merito, in tantam diuinæ gratiæ altitudinem euectus erat, vt plura, & maiora miracula per eum fecerit Deus, quàm per magnum Abbatem Antonium, in cuius disciplina Paulus ipse agebat. Estque apud Sozomenum de Paulo Simplice, potentiorem eũ ad fugandos Dæmones fuisse Magistro suo Antonio. Accidit autem aliquando, vt cùm infinita prope hominum multitudo ad Paulum hunc accederet petendæ salutis causa, vereretúrque Abbas Antonius, ne tanta illa hominum multitudo premeret, atque eliderer debile Pauli corpus, iusserit eum in deserti interiora se se abdere, ne reperiretur. Quod cum ille fecisset, Antonius ipse succedebat in illius locum, & accipiebat eos, qui à Paulo sanari voluissent. Quòd si aliquos ipse fortè sanare non potuisset, iubebat eos ad Paulum ire, à quo deinde illi salutem accipiebant. Nonnè diuina hæc arcana sunt? Nonne disciplina*

Palladius in Hist. SS. Patrũ Sect. 25.

Sozomen. lib. 1. c. 13. Hist. Eccl.
Palladius in Hist. SS. Patrum, in Vita Pauli Simplicis. c. 28.

*humilitatis? Magni Antonij sanctitas, à quo tot Monacorum familiæ proseminatæ erant, nonne obscurari visa est quodammodo, cùm per omnes terras alioqui clara, inclytaque esset? Gloria etiam longè maior alterius hominis planè diuini, sanctiorisque, quàm Antonius ipse fuerit, visa est abscondi, & tegi, sicuti verba ipsius hæc declarant; Ait enim ità de se ipso;* Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Atqui fortissimus ille erat, probabileque est talia munera ipsum alijs obtinuisse, cùm ipsi clausæ ianuæ cœlestes viderentur, cœlumque ipsum æneum, & terra ferrea, sicuti sacræ litteræ habent, quodammodo omnia illi negaret. Neque dubitare possumus, qua de causa id factum fuerit, cùm ipse affirmet esse factum, ne magnitudo reuelationum nimis extolleret animum suum. Interdum etiam sapientia diuina diuersam viam humilitatis admouet hominum generi, quæ via asperior est, & velutì obsita spinis, per quam viam immittuntur nobis non solùm ærumnæ aliquæ sine vlla intermissione, sed etiam ignominia illis adiuncta est. Et istæ quidem, vel difficultate superandi, vel amaritudine sua magnopere differunt à communibus alijs, sicuti alibi esse à me demonstratum puto, allato etiam memorabili exemplo Henrici Susonensis, neque repetere eadem necesse est. Similis casus est apud Euagrium, & apud*

2. Corint. 12. nu. 7. 8. & 9.

Deuteron. 28. nu. 23.

*Metaphrastem in Eugenij, & Mariæ vita. Neque dissimile est id; quod in vita Simonis Sali narratur à Leontio Scriptore. Item in Diuæ Theodoræ vita; & in vita Diuæ Margaritæ; quæ Pelagius dicta est; talia quædam extant.* Lib. 4. cap. 35. 8. Februarij. In eius vita. cap. 28.

## CVR DEO PLACEAT; VT illi, quos carissimos habet; velut affixi Cruci torqueantur.

### Caput. IV.

*EX quibus acerbissimis casibus, ac veluti amarissimis cibis, quos Deus amicis suis plerumque apponit; consentaneum est inquiri; cur nam ità Deo placeat; vt suos veluti in varias ærumnarum Cruces sublatos interdum velit. Ego animaduertere videor nouam legem, quæ à plurimis antiqua lege mitior existimatur; nonnullam habere maiorem asperitatem in eo, vt sectatores suos innumerabilibus ærumnis affligat: atque contemplari lubet; quàm verè id dicatur. Diù fuit perfectissimis; sanctissimisque viris præmium amplum, ad tormenta duci, agique; vitatis autẽ tormentis, & elapsa moriendi occasione, protinus ad deserta loca se se conferebant; atque ibi solatium ingens erat torreri flagrantissimi solis radijs, arenisque demergi fluctuantibus; sepeliri antris, ac viuere sine cibo, ferarumque instar propriam pellem habere pro tegumento aduersus feras ipsas, & aduersus*

anni

*anni incommoda. Postquam autem rediere Christi fideles tanquam ab exilio communi, atque restituti sunt in Ciuitatem, nulli alij sermones inter eos erant, quàm de sensibus domandis, corporeque lacerando verberibus, & cilicijs, & vigilijs, peregrinationibus, orationeque perpetua, Lex autem ista, quæ talia iubet, quærimus nos cur ità præscribat. Hanc in præsentia causam, & rationem attulisse satis erit. Sciendum est, Diuinam Maiestatem omni semper tempore exegisse ab hominum genere sensum amoris, ac pietatis; quæ pietas, & amor ea est natura, & conditione, vt difficile admodum cognosci posſit magnitudo ipsius, cæteræque conditiones. Nec possunt aliter cognosci, quàm per effecta, quæ proficiscuntur ab amore ipso, & ab eius essentia, sicuti sol ex radijs cognoscitur. Affectus autem hic, generatim loquendo, cum sit in duplici genere, diuino nempe, & naturali, profert, atque gignit varia effecta, quorum præcipua sunt trium generum, cogitationum nempe, & verborum, & operum; atque inter effecta, & signa, cogitationes locum vltimum tenent; ac posita sunt in medio verba, & denique opera ipsa sunt efficaciora, & veluti spiritu, & viuacitate quadam multò magis amorem hunc demonstrant. Prætereà inter opera, quæ sunt diuersæ naturæ, illa, quæ plus difficultatis habent, sunt etiam amoris nostri testimonia certiora: ac deinde inter opera omnia, asperiora sunt, & difficiliora, taliaque habentur ea, quæ perpessionem continent aliquam, atque dolorem, quàm ea, quæ voluptates, & res iucundas adiunctas sæpe habent. Atque ideo summus Philosophorum aiebat,*

Amor, & pietas.

Aristot. lib. 3. Ethic. cap 9.

*sum-*

*summum, & altissimum fortitudinis gradum positum esse magis in perferendis calamitatibus, quàm in rebus alijs efficiendis, quæ felicissime à nobis, ac suauissime peraguntur. Ut autem ea, quæ dicta sunt, ad pauca redigamus, possum ego demonstrare, quemadmodum placeat magis Deo videre electos suos veluti Cruci affixos, quàm varijs bonis abundantes. Sunt enim Cruces illæ certissima signa, & testimonia diuini amoris. Ideo Hermannus Canonicus Steinueldensis, cùm in faciendo Sacro, multum temporis consumeret, tædia, & susurri oriebantur, audiebanturque etiam querelæ ob candelas, quas mora illa absumebat. Ille tamen ferebat cuncta patienter; quæ sic proposui, vt intelligat vnusquisque, quales interdum angustiæ hominibus pijs, permissu diuino, subeundæ sint. Ut autem tantum temporis in re diuina consumeret Hermannus, efficiebatur ecstasi, cui obnoxius ille erat. Quamobrem in forti homine perpessio rerum arduarum gloriosior est, quàm actio, sicut ante dictum est, amandique verbum qui primus vsurpauit, patiendi vim, atque significationem huic inesse verbo credidit, & rursus patiendi verbo significationem inesse amoris idem existimare debuit. Cui loco, & sententiæ congruunt sacrarum litterarum authoritates, ex Deuteronomio, ex Exodo, & Libro Iudicum, alijsque præterea locis, quos innuisse satis habemus.*

Electorum Cruces.

In eius vita scripta per Sodalem.

Deuter.8.n.2.
Exod.20.n.20.
Iud. 2. nu. 22.

X DE

## DE CORPORIS MORBIS.

### Cap. V.



*TQVE vt ea, quæ diximus, magis confirmentur, si alijs præterea argumentis opus esset, possent afferri dolores, & lacrymæ acerbissimæ, durique gemitus ægrotantium, qui diutissime sub flagello diuino agunt infelicem vitam. Eorumque maximè virtutes animi, & merita occultantur, dùm corporis calamitates omnibus patent. Cur autem id Deus agat, inquirere non est opus, sed possumus vtique dicere, accidere multis id, quod Petronillæ paralyticæ filiæ Diui Petri euenit, cui Pater noluit donare salutem, donec tempus veniret illud, quo tempore opportunam filiæ salutem cognosceret, postquam nimirum ad altiorem sanctitatis gradum peruenisset: quo deinde tempore non solùm ea adepta est salutem, sed precibus suis id ipsum donum alijs impetrabat. Cùm autem hi morbi proficiscuntur ab diuina voluntate, ità occultant ægrotantium merita, vt vix quomodo id fiat, suspicari possimus. At velim, vnumquemque considerare verba illa Apostoli, quæ attulimus alio loco, quibus verbis ait, datum esse sibi stimulum carnis, à quo affligeretur humilitatis causa, & vt diuina munera, quibus abundabat, occultarentur. Qui stimulus, vt plerique doctores aiunt, corporis morbus fuit. An igitur corporis morbi tantam vim habent, vt possint etiam magnanima, & fortissima corda labefactare?*

In vita Nerei, & Achillei c. 9.

D. Hier. in c. 4. ad Galat. nu. 13.
D. August. in Psalm. 130.

*Accidit*

*Accidit autem occultis quibusdam causis, vt homines religiosi, atque timentes Deum præter cæteros huiusmodi morborum importunitatem experiantur. Neque sanctitas eorum valet ad diminuendam calamitatem, volente Deo eos affligere, & excruciare. Ob quam necessitatem ne prudentia quidem satis loci habet; Neque attinet in tali tempore ex Pythagoræ disciplina credere; Nihil inexpectatum posse accidere viro sapienti, prouidereque, & expectare omnia. Vult enim Deus ipsos pati grauia supplicia, atque assequi finem eum, qui morbis eiusmodi propositus est. Quamobrem magnopere vituperandi sunt, ac ferme in numero malignorum habendi, qui offenduntur, aut admirantur, cum acerbas querimonias audiunt ægrotantium, etiam si sanctè vixerint. Nam si isti damnant absque causa, & insectantur aliorum famam, crediderim ego damnaturos etiam Iobi ipsius innocentiam, quæ tanta fuit, vt Deus ipse nihil ex eius ore prodÿsse peccati profiteretur. Atqui legimus ipsius lamenta, & querimonias, quibus nullæ maiores esse possint, nec ob incommoda tantùm alia accepta diuinitùs, sed ob plagarum præcipuè dolorem. Non est igitur temerè de aliena patientia iudicandum; nam reperies aliquos, qui verborum modestia extrinseco habitu se se patientes præbent, interiore autem sensu, tacitisque consilÿs sunt impatientissimi omnium. Atque etiam interdum pro diuersitate temperamenti reperiuntur qui absque vlla virtute carent iracundia, qualem fuisse Pythagoræ animum existimo, de quo Iamblicus refert, eodem semper animo, & vultu perstitise læto. An*

D. Basilius in Regulis fusius disputatis, interrogat. 55.

Ex vita Pythagoræ collecta ex Iamblico.

Iob. c. 1. n. 22.

Pythagoræ patientia.

igitur

*igitur existimabimus hanc Pythagoræ patientiam, atque lenitudinem pluris esse faciendam, quàm alterã illam religiosorum omnium patientiam; quibus ægritudines corporis multo acerbiores esse possunt; at dolenda magis, quàm hominum aliorum, qui extrà claustra vitam degunt? Nàm quantò maior est feruor eorum seruiendi Deo, & proximis, obseruandiquè religiosæ vitæ leges, tantò acerbior Crux eorum est, quæ ferme coniuncta est cum alijs molestijs, siuè quòd videant graues se esse socijs, siuè quòd contemni se se putent tanquam desides, & otiosos inter alios, qui magna lætitia, magnoque fructu assiduè exercentur. Nesciunt homines inertes, & abiecti, quanta ista sit molestia: sciunt quidem fortes, & magnanimi, sicuti demonstrare possunt hæc Magni Gregorij verba;* Ecce enim, *inquit*, iam biennium penè expletur, quo lectulo detineor, tantisquè podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis, vsque ad horarum trium spatium surgere valeam missarum solemnia celebrare. *Consideretur quanta debuerit esse pœna summi illius Sacerdotis, patrisque patrum, dùm cuperet, immo necesse haberet agere innumerabilia, ac nihilominus asperis catenis, & dolorum vinculis teneretur; ac dùm ad Populum verba facturus esset, superueniebant stomachi dolores, qui sanctum hominem in cellam ipsius, velut in carcerem, compellebant. In qua calamitate, vt satisfaceret Populi necessitatibus, Homilias dictabat eas, quæ postea recitabantur ab alijs. An ideò minùs carum, & acceptum eum fuisse Deo dicemus? Ligat, atque adstringit*

Ex lib. 8. Epist. 35.

Io. Diaconus in vita B. Gregor. lib. 1. nu. 17.

*git diuina manus hosce, sicuti de se ipso Iob ait?* Cap. 33. n. 11.
Posuit in neruo pedes meos, custodiuit omnes semitas. *Et alibi*; Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. Cap. 18. n. 10.

## QVOMODO MOLESTIÆ MORBORVM corporis augeantur.

### Caput VI.



*VÆ dùm Deus agit inenarrabili sapientia, videtur verè id posse dici, quod de senectute viri sapientes dixere*; Time senectutem; non enim venit sola; *Ita etiam ærumnæ morborum grauissimæ sunt, quia nunquam veniunt, nisi cum magno comitatu: num autem hoc verè dictum sit audiamus. Corporis Organa, sicuti sciunt etiam mediocriter litterati, sunt instrumenta humano animo, quibus vtitur ille ad agendum, quamdiù in custodia corporis tenetur. Atque hæc instrumenta quotiescunque malè affecta reperiuntur, pro vtilitate, & adiumento damnum afferunt artifici, & menti, quæ artificem regit. Atque ideò in misero ægrotante homine non est ea vis ad intelligendum, quæ priùs fuerat, neque memoria illa, neque præsens audacia, neque magnanimitas, quæ antea in ipso cernebatur. Mira est inhabilitas ad agendum aliquid, capiendumve consilium; aiuntque omnes, & fatentur ho-*

*minem illum esse planè immutatum, nec esse, qui priùs fuerat, atque ideò reperietur non solum æger corpore, sed etiam animi facultatibus æger. Ac si viri sapientes affirmant, dum anima corpus ingreditur, infirmari quodam modo eam, variasque calamitates perferre, multò iustiùs dici potest, animam eandem in plerisque mortalium vnà cum corpore languéscere. Animaduertatur igitur quanta sit causa timendi; ac licet æger non ideò grauiter peccaret, non tamen dicendum est, pristinam virtutem, atque potentiam non esse quodammodo extinctam. Quo deinde fit, vt clari olim fama homines obscurentur, & apud hominum animos calamitosissimi habeantur. Et calamitas deinde ipsa, sicuti veteres tradidere, eam vim habet, vt intelligentiam ex parte, sensumque animi adimat. Sic apud grauem illum, mæstumque poetam Euripidem, Creusa inopem consilij infelicitatem dixit, miseramque mentem incredulam esse alius similis ingenij scriptor ait. Atque Ouidius alioqui vanus, & leuis homo, sic cecinit; In miserijs primam omnium abire prudentiam. Non est igitur illico decurrendum eò, vt statim dicamus, aliquem apud nos excidisse ex opinione illa, quæ prius de eo fuerat; sed potius dicendum est, virtutem ipsam antiquam in partes animi interiores esse restrictam, ne ignaris hominibus, & plebeis aperta, & nota maneat;*

In Ione.

CON-

## CONSIDERANTVR ALIQVA de morbis hominum, piorum, atque seruorum Dei.

### Caput VII.



*ICUT autem res, & actiones seruorum Dei dignæ sunt omnes, quibus cæteri animum attendant, itá etiam eorundem corporis morbi habent diuina quædam mysteria ad homines erudiendos, & instituendos. Atque inter cæteras Beati Gregorij laudes illam quoque numerari par erit, quòd toto ægritudinis suæ tempore, nunquam ille studium ecclesiastici cantus omisit. Ait enim Ioannes Diaconus, decumbentem eum paruulo lectulo, solitum fuisse erudire pueros ad canendum, illisque comminari flagello; quod religionis causa ad eam vsque diem conseruabatur. Itá importuni corporis morbi non poterant penitus impedire magnanimas curas, & opera Dei seruorum, ipsique summa prudentia vincebant calamitates occultis hisce artibus, quas vulgus, solitum intueri rerum tantummodo speciem, fortasse non agnoscebat. Neque credendum est, morbos eos, quos diximus, fuisse leues, cum in octauo Libro hæc verba scripta sint.* Vnde fit, vt qui quotidie in morte sum, quotidie repellar à morte. *Neque dissimulabat ille sua mala, abscondebatue; Atque operæ pretium est audire, quibus ipse verbis conditionem eorum morborum describat, auxiliumque imploret.* In vita B.Gregor. lib. 2, num.6. Epist. 35.

Peto

Lib. 7 Epist. 78. Peto autem, vt pro me enixiùs vestra sanctitas orare debeat, quia podagræ doloribus, & barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor. *Hisce verbis ea quoque addantur*; Lib. 11. Epist. 24. Ego in tanto gemitu, & occupationibus viuo, vt ad dies, quos ago, me perueniſſe pœniteat, solaque mihi in consolatione sit mortis expectatio. *An fortaſſe ex hisce verbis reprehendent Scioli Diuum Gregorium, tanquam inconstantis animi, & vt ipsi loquuntur, parùm ad diuinam prouidentiam attemperati? Neque hoc, quod nunc à me dicitur, pugnat cum eo, quod pleriquè Scriptores docent, morbos nempe corporis esse salutares animæ, perpetuamque valetudinem in aliquibus nihil aliud esse, quàm ægritudinem mentis, atque, sicuti Diuus Bernardus ait, melius fore si stomachus ipse, quàm mens laboret. Aiuntquè alij eam fuiſſe causam, cur Platonicæ scholæ suam sedem elegerint sub cælo non ita salubri, optandumquè esse, vt tales eſſemus bonæ valetudinis tempore, quales sumus, cum morbo aliquo laboramus: Nam fatemur poſſe aliquam ex morbis prouenire vtilitatem, & illis maximè, qui nondum rectè domitos sensus habent, & quibus cupiditates adhuc inhonestæ negotium præbent. Non tamen ideò efficitur, vt non afferant etiam damna quædam, & detrimenta; cumque crescere possit in ægrotantibus meritum vnà cum virtute, imminuuntur tamen, & impediuntur rectè agendi facultates, & laudabilia opera occultantur; quod nunc demonstrare propositum est.*

DE

## DE EO, QVOD IN DEI SERVA factum est.

### Caput VIII.

P*ROSEQVEMVR etiam paulisper locum hunc, grauemque casum explicabimus, in quem verba illa Iobi cecidisse videntur,* Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. *Fuit aliquot abhinc annis religiosa mulier, cuius sanctitatem res vna demonstrabit; quam ego sum narraturus. Inuaserat hanc elephantiasis atrocissima, cuius morbi monstruosam conditionem, si quis cognoscere velit, videat ea, quæ medicæ artis magistri scripsere. Ea mulier cùm viueret adhuc, horribile cadauer facta erat, plena vlcerum, ex quibus cum odore teterrimo sanies per totum corpus manabat. Oculorum vsum amiserat, nam fœdissimè prominebant extra caput. Acerrimi aurium dolores, de quibus Galenus ait, tantam esse dolorum eorum atrocitatem, vt plerique mortem sibi consciuerint præcipitantes è fenestris, aut in puteos se se; id quod in alijs morborum tormentis rarò euenit. Denique decidere dentes, & vlcera fauces penitus illius occupauere, magnumque vlcus in ceruice apparuit, quo vlcere prudenter, & intrepidè medici vti statuerunt ad cibandam eam, ne fame absumeretur, fistulamque ferream eius rei causa, in plagam illam inseruere. Sed interea illa*

Cap. 30. n. 21.

De composit. medicament. secundum locos.

Z mise-

*miserabilem vitam reliquit, cùm pœnas illas per triennium pertulisset, quas pœnas ingentis gloriæ occasionem illi præbuisse credibile est. Quanta fuerit autem huius mulieris sanctimonia, vel ex eo coniectari potest, quod crebrò ipsa dicere solita erat, non solùm gratias agere se Deo propter assidua tormenta, sed affirmabat insuper, ærumnas, atque calamitates sustinuisse maiores ob sæuas Dæmonum tentationes, inter quas timuisset olim, ne Deus ab se offenderetur; pelagumque illum dolorum, in quo tunc esset, non esse comparandum cum doloribus illis, quos metus ille peccandi attulisset. Peto ego ab illis, qui versantur in hoc studio contemplationis, vt pondus, atque vim paucorum horum verborum examinare velint.*

## DE IMPROBORVM HOMINVM ægritudinibus.

### Capue IX.



*I fortasse dicent aliqui, casus inusitatos esse istos, ac penè incredibiles, respondemus esse vtique inusitatos, & quia tales sint, à nobis etiam narrari. Atque insuper volumus id considerari, quod à magno medico dictum fuit, facinorosos nempe quosdam homines, quantum ipse animaduertere potuisset, non mori, prout artis præsagia monerent, morbisque illis, ex quibus perire debuerant, sæpè non perimi eos.*

*tes. Atque ideò aiebat; multis se exemplis commotum, faciliùs huic hominum generi, quàm alijs solitum fuisse prædicere, quòd ex eo morbo non morerentur. Iam igitur quid tandem in hac noua opinione statuemus, si tamen nouam eam appellari licet? nam consideranda sunt ea verba sacrarum litterarum;* In labore hominum non sunt, & cùm hominibus non flagellabuntur; *ac de periculis præcipuè, quæ vitantur ab ipsis fermè extra communem hominum conditionem, legantur ea Iobi verba;* Sic in tenebris, quasi in luce ambulant. Leuis est super faciem aquæ. *Ea verba de improbis hominibus dicta sunt, quasi sic diceretur; si committunt se se fluminibus, non obruuntur; si mari, naufragium vitant; atque tanta illis est audacia, vt flammas ipsas impunè ab se calcari posse putent. Neque attinet causam eam referre, quam huius rei notam, & communem Scriptores sacri afferunt, nempe improbos homines longam habere vitam, vt conuertantur, vel vt sint instrumenta diuinæ iustitiæ ad alios puniendos. Progrediamur nunc ad naturalium causarum inuestigationem, quomodo id fieri naturæ lege possit, si minùs in omnibus, certè in multis eorum. Horum vita licet interdum longa sit, videtur tamen etiam longior, quia communes humani generis inimici existimantur, & veluti feræ quædam, & bestiæ, lupique, & serpentes, quorum etiam exiguus numerus, nimius videtur. Atque ideo miramur, cùm extra primos senectæ suæ annos ipsi progrediuntur. Verùm his omissis, communiter hoc affirmamus, eos, qui sunt serui, & man-*

Psalm. 72. n. 5.

Cap. 24. n. 17. & 18.

Improborum vita.

*mancipia vitiorum, semper ferè esse temperamento robustiore, fortissimisquè membris. Nam alioqui diù non sufficerent gulæ, iræque, & otio, libidinibusque monstruosis, earumque rerum violentiæ. Hinc est, quòd ante diluuij tempus, fuisse Gigantes in Mundo sacræ litteræ tradunt; Nostra insuper vulgata lectio subdit, de illis loquens;* Isti sunt potentes à seculo viri famosi. *Quò in loco Textus Hebræus robustissimos homines designat; voci enim Hebrææ* גבור *significatio roboris inest. Accedit alia quoque consideratio, quòd licet homines improbi, amentes sint, quod ad res diuinas attinet, animaduersum tamen est, eos habere magnos sæpe spiritus, & viuidos animos, & prudentiam etiam plusquam mediocrem, memoriamque, & iudicium, & tolerantiam laborum, sicuti expressum videmus in illa descriptione, qua Catilinam Marcus Tullius, & Annibalem Liuius describunt; de quo quidem Annibale verum esse id, quod à nobis dicitur, declarat imago hominis, quæ in Bibliotheca Ambrosiana asseruatur. Naturale igitur est hoc, vt natura quoque legibus, & consuetudine diutiùs viuere posint illi, qui sunt ad scelera promptiores.*

Gen. 6. nu. 11.
Gen. 6. n. 1.

DE

## DE SALVTE QVORVNDAM insigniter improborum.

### Caput X.



*VM autem generis huius homines in morbos incidere, iusta est causa quærendi, quænam pars salutis eis obtingat; eamq; dubitationem afferunt signa quædam, ex quibus apparet, ipsos ad recte agendum esse inflammatos. Sacramenta, & mysteria diuina vim habent inæstimabilem quidem; sed ita tamen, si nostra quoque voluntas accedat; quæ voluntas, sicut ego animaduerti, in plerisque eorum valde obscura, & anceps, vacillansque est; atque etiam in extremo illo rerum articulo, nunc bene, nunc prauè affecti cernuntur; eamque varietatem afferunt morborum quædam inclinationes, inter quas ipsi concepta spe vitæ, perturbationibus violentis habenas interdum permittunt, sicuti exemplo demonstrabitur. Fuit quidam assuetus iracundiæ, atrocitatique verborum in Deum, & in sanctos: is cùm grauissimè laborare cœpisset, peccata sua ritè confessus, magna spe suos omnes affecerat fore saluum; summaque pœnitentiæ inditia in eo apparebant. Ecce autem cùm meliusculè haberet, exiguo illo spacio leues ob causas indignatione accensus, impia rursus verba iactare cœpit, ac superueniente delirio, sensibus amissis, absque confessione decessit. Cæterùm praui isti homines ferme religiones ipsi quasdam suas habent, quarum spe sub-*

*uixi, certam sibi salutem promittunt; estque communis inter ipsos opinio, ieiunia quædam, & nonnulla opera pietatis, quibus assueuere, procul dubio datura esse salutem. Non sane ego dixerim vnquam, vllam rectè, ac piè agendi consuetudinem esse omittendam; sed hoc dico, consuetudines illas, atque imaginem eam pietatis sæpè incitamentum esse peruersis hominibus, quò longiùs, & audatiùs in praue agendo progrediantur; sperentque exiguum illud bonum fore scelerum aliorum veniam. Non autem sentiunt illi, verè à Philosophis hominibus illud esse dictum;* Bonum ex integra causa, & malum ex singulis defectibus. *Porro ea, quæ ipsi laudabiliter agunt, non præmium æternum; sed fortasse nonnullam in rebus humanis commoditatem, atque indulgentiam merentur; erant enim lethalibus contaminati noxis, cùm ea ipsa agerent. Quòd si dixerint, spem esse sibi; fore vt illa ipsa pars pietatis diuinæ misericordiæ partem mereri possit, rectè id quidem fortasse dixerint; sed rursus dico ego, vt id contingat, requiri propriam ipsorum dispositionem vnà cum gratia diuina coniunctam. Dispositio autem illa, quæ in primis requiritur, longè ab ipsis abest. Quòd si fortasse dixerint, fore vt eam operibus illis suis acquirant; respondeo ego, id sane propositum esse debere, dùm agunt talia, sed in primis omni ope conniti, vt purgent vitijs animum suum; quod ipsi facere nolunt.*

DE

## DE LONGA IVSTORVM VITA.

### Caput XI.



*ELVTI per iocum aiebat aliquando aliquis alteri, sibi votum esse, vt talem viuere vitam posset, qualem Sancti homines vixere. Nam si ità viueret, longissime se esse victurum aiebat; non minùs enim salutaris illorum viuendi forma sibi videbatur, quàm regulæ illæ, quas medicæ artis magistri in Scholis passim præscribere soliti erant. Sanè breuissima sanctissimis aliquibus viris vita fuit, sed rursus nonnullis alijs eorum longissima; atque de longitudine illa, siue breuitate scripsere nostris temporibus aliqui. Præstat ea legere, quæ de Antonio, & Paulo primo Eremita, & Hilarione scribuntur; quæque Palladius, & Theodoretus, & Cassianus de plerisque alijs tradidere. Ac præter diuinæ prouidentiæ voluntatem, quæ lumina hæc diù lucere mortalibus alijs vult, adest etiam in promptu ratio naturæ, propter quam longissimè illi viuere debeant. Scribit aliquis; animaduersum esse sibi, quod militares homines, itemque homines alij dediti litterarùm studijs, quæ ab humanitate nomen acceperunt, longissime etiam viuerent. Id quomodo fiat, inquirere nunc lubet. Milites diù laboribus assuenere; cœlique perferre iniurias, modicò cibo vti, procul à delicijs omnibus abesse, vita eorum est; Carent præterea molestijs, atque solicitudi-* Militum vita.

*nibus quibusdam, procul ab domesticarum rerum cura, procul ab affinibus, & propinquis, vnumque negotium illud suum agunt. Hi postquam ad senectutem peruenere, recipiunt se se in hospitium illud, in quo nati, & nutriti prius fuere, atque illi discedere nesciunt ab antiqua illa sua consuetudine vitæ, diùque nec amant, nec odere, nec appetunt magnoperè quicquam, sed fessi laboribus diuturna quiete perfruuntur. Ac litterati homines, qui versantur in studijs illis humanioribus, in hac sunt conditione, & statu, sicut exponemus. Litteræ illæ humaniores nisi pietatem, atque religionem sibi adiunctam habeant, sæpe procreant in animis eorum, qui sectantur ipsas, alienationem quandam, & fugam à rebus diuinis, cuiusmodi exempla superioribus temporibus non defuere. Et quamuis alant suis ipsi pectoribus veram fidem; ea tamen infirma admodum est, & pene mortua. Causas nunc omittimus alias, de quibus fortasse alibi agendi locus erit; cæterum illa præcipua est causa, quòd omnes Libri, quos ipsi manibus tractant, ferè à nostra religione alieni sunt, & occultum venenum in illorum pectora infundunt; neque id mirum est, cùm Librorum ipsorum auctores, acerrimi fuerint nostræ Christianæ religionis inimici, siquidem post eius exortum extitere; vel certè cultores idolorum fuere, & Idololatriæ dediti, si nati sunt, antequam ipsa nasceretur. Sicut igitur lasciuæ litteræ mores efficiunt lasciuos; ac sicut comœdia risum excitat, tragœdia mœrorem; ita pestifer quidem ventus ex eiusmodi Libris afflatur, qui sine sensu descendit in animos, & pes-*

Litteratorum vita.

tem

*tem illuc, atque venenum infidelitatis affert. Sed quoniam huiusmodi Libri scripti fuerunt à principibus omnis prudentiæ viris, qui quidem in illa temporum nocte extitere; nec alibi maior vsus rerum, maiorue subtilitas ingeniorum fuit, hinc est, quòd humanæ prudentiæ florem continent, traduntque disciplinam certam quandam, & nobilem vitandi extrema, atque viam procul à periculis calcandi tutam, & expeditam. Iam hoc, quod de militaribus viris, ac de studiosis hisce hominibus dictum est, multò aptiùs cadere potest in Dei seruos, qui ceu milites verè laboribus assueuerunt, & viuere parcè, deliciasque adspernari. Hi pariter sunt homines illi eruditi, qui optimos, atque præstantissimos litteraturæ totius Libros tractauere, nostræ nimirum legis monumenta, in quibus eluxit non humana minùs prudentia, quàm diuina, quæque præceptum illud etiam iubent custodiri antiquum;* Ne quid nimis.

## DE PRÆSAGIENDA mortis hora.

### Caput XII.



*ON mirum igitur est, iustos homines viuere diutissimè, sed illud quidem valdè mirum est, mori ipsos interdum quasi non sentientes interitum suum, vel etiam sperantes longiorem sibi fore vitam. Vt dicam id, quod sentio, hanc ingruere pes-*

*tem interdum vidi in animos alioqui timentium Deum, optimèque moratorum. Promittunt sibi Nestoreos annos; atque vbi in morbum incidere, mortique propinquant; non sentiunt horam suam, admonitique veluti per somnij speciem id accipiunt, & aliqui eorum dicunt interea, nondum adesse sibi horam; scire se quid dicant, & alia simili vanitate. Sanè fieri poterit, vt diuino nutu tale quiddam accidat, quò leuior sanctis hominibus moriendi sensus fiat; eamque rem veluti somnium aliquod accipiant, sicut est in Psalmo;* In pace in id ipsum dormiam, & re-
Psal. 4. n. 9. quiescam. *Atque posset alius dicere, ità affectos esse Dei seruos, vt non indigeant magno ad moriendum apparatu; posseque ipsos decedere quandocumque res ferat, etiam si mors repentina superuenerit, sicut ea nonnullis magnæ sanctitatis hominibus aliquando superuenit. Sed non ideò tamen dicendum est, Dei seruos esse omnes æqualiter perfectos, & sanctos; atque ideò fieri potest, vt cùm aliquorum animos nulla subit mortis cogitatio; id manifesta Dæmonis tentatione contingat, quæ potest ab aliqua opinione sui proficisci, persuadentes nimirum sibi fore, vt si hora superuenerit, diuinitus admoneantur, experti scilicet sæpè aliàs propitiam sibi Numinis benignitatem.*

*Aliquando etiam ità contingit, vt ardenti desiderio cupiant aliquod perficere suum opus, quod ipsi Deo curæ esse credant, seque fore instrumentum putent ad opera ea perficienda. In eo sanè magnopere falluntur, cùm impenetrabilia sint consilia Dei, ipsiusque viæ. Interdum etiam falluntur naturæ ipsius ratione, quia*

cùm

*cùm sæpè ægrotauerint, semperque conualuerint, veluti familiares sibi fecere morbos, neque magnopere eos timent, ac se se quadam tenere medicinæ capita profitentur; & sciunt, quæ ratio sit conseruandæ valetudinis, & suam ipsi corporis constitutionem nouerunt. Atque ideò animaduertisse videor, eos, qui pugnare sæpe cum morbis solent, in magno esse periculo, vt morte inexpectata opprimantur; vaticinantur siquidem assiduè, fore vt conualescant, morbosque paruipendunt, & quasi perfecta scientia, immutabilique lege futura ex præteritis coniectantur. Sed illud quoque dicendum est, in nonnullis Dei seruis, cùm moriuntur, animaduerti certam quandam, & singularem Dei permissionem, dum repentino mortis metu, & horrore occupantur, cuiusmodi horrores, & metus antea per totum vitæ cursum, illorum animos nunquam inuaserunt; ac fieri potest, vt sit ea, veluti pœna quædam immissa diuinitus, vt de se humiliter, ac demissè sentiant. Quod cum ità sit, munet motus ille per aliquot dies, sed in mortis articulo euanescit, ipsique libenter, & tranquillè moriuntur. Atque ideò dispositionem eorum ego tunc magnoperè censeo esse laudandam, quippe cum eodem tempore duo magna munera à Deo impetrarint, humilitatis nimirum vnum, alterum fortitudinis in tantæ necessitatis tempore. Timorem verò ipsum crediderim posse proficisci, vel ab Dæmonum arte, vel etiam immediatè ab diuina voluntate, vel denique ab conditione naturali, quæ quàm maximè potest, abhorret ab vltima illa dissolutione mortalis huius fabricæ, & elementaris.*

Iustorum morientium metus.

DE

## DE GRAVISSIMIS tentationibus.

### Caput XIII.



*ERVM iam tempus postulat, vt ad alia transeamus, & de grauissimis tentationibus loquamur, inter quas existimo ego sæpe accidere illud, quod Mosi* Exod.34.n.29. *euenit, cuius facies cùm tota fulgeret, splendorem suum ipse minimè videbat. Ita planè qui tentantur, positi sunt in alto quodàm gloriæ gradu; neque status sui dignitatem vident, ac se se flagitiosissimos esse homines putant. Tentationes autem eiusmodi aptissimè feris bestijs æquiparari possunt, de* Psal. 103. *quibus ità in Psalmo est, diurnis temporibus latitare eas, noctu autem extra cubilia sua prodire. Ita nimirum humanæ mentis perturbationes prodeunt ex animi latebris, vbi sol quidam gratiæ sensibilis, & feruoris intepuit; ac veluti solis occasu refrigerata est terra. Nos hoc primùm dicemus, Dei seruos, & pios homines tentari interdum; rursusque flagitiosissimos mortales minimè tentari. Quòd autem sanctissimi homines sæpe tententur, memorabile illud, ac fortasse* Nazianzeni exemplum. *singulare propter hominis merita, Nazianzeni exemplum declarat. Is de se ipso hæc ait, alloquens suam* Lib. Cigneorũ Carm. in exhort. ad animam suam. *animam;* Empusa, Mænas, infelix anima: Empusa, Mænas, quònam te voluptates abripiunt, circumspectantem vndique proxima? Non tandem resipisces? non ignem illum conficies, &

extin-

extingues, qui prauas in te spuriasque cupiditates accendit? non excitabis partem animi genuinam, rationeque præditam, adiungens tibi partem alteram, quæ vim irascendi continet? quid accidit tibi, mea anima? Cur tibi cordi est, quod te non decet? *Neque ex his verbis interpretari quicquam aliud attinet, præter vnam Empusæ vocem; quam sicuti Philostratus refert, existimauere Gentiles antiqui, Dæmonem esse, qui figura fœminæ indutus libidinosissime ageret. Hæc autem tormenta Gregorio procul dubio à Dæmonibus inferebantur; nam ille iam extremæ ætatis erat. Ac tale quiddam etiam sexagenario Pachoni euenit, cuius verba apponere operæpretium est;* Ecce me, vt vides, hominem senem. Cum iam quadragesimum annum degam in hac cella, curam gerens meæ salutis, & ad hanc ætatem peruenerim, tentor vsque in hodiernum diem, & iurauit dicens. Iam duodecim annis postquam transegi annum quinquagesimum, nullam diem, nec noctem intermisit, qua me non inuaserit. Cum itaque suspicatus essem, Deum à me recessisse, quandoquidem tanta in me Dæmon vteretur potestate, potius delegi mori absque ratione, quàm vitio, affectioneque corporis me turpiter gerere. Egressusque à cella mea, & obiens solitudinem, inueni speluncam hyænæ. In quam speluncam me nudum immisi toto die, vt feræ egressæ me deuorarent. Postquam autem fuit vespera, prout scriptum est. Sol cognouit oc-

Palladius in Hist. SS. Patrum, in vita Abbat. Pachon. Sect. 29.

casum suum. Posuisti tenebras, & facta est nox.
Psalm. 103. In ipsa transibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Egressæ ergo feræ in illâ horâ, & masculus, & fœmina, me à pedibus ad caput vsque odorati sunt, circunlingentes. Cumque expectarem fore vt deuorarer, à me recesserunt. Cùm ergo illic totá nocte iacuissem, non fui deuoratus. Existimans ergo Deum omnino mihi parsisse, surrexi. Rursus verò in cellam redij. Cùm autem se paucis diebus continuisset Dæmon, me est adortus vehementiùs quàm anteà, vt parum abfuerit quin blasphemarem. Transformatus enim cum esset in puellam Æthiopissam, quam in mea iuuentute videram æstate spicas legentem, ea mihi visa est meis insidere genibus, meque vsque adeò commouit, vt putarem me cùm ea coiuisse. Furore ergo percitus, impegi ei colaphum, eaque sic euanuit. Hoc autem mihi crede dicenti. Biennio non poteram ferre manus meæ fœtorem. Cùm ergo hac de causa pusilli, & abiecti animi euasissem, & de me omnem spem abiecissem, egressus sum perertans vastam solitudinem: & inueni paruam aspidem. Quam cùm accepissem, eam admoueo meis genitalibus, vt vel sic morsus morerer. Et cum eius caput virilibus applicassem, vt quæ mihi fuissent causa tentationis, ne sic quidem morsus sum gratiæ prouidentia. Post hæc autem audiui vocem dicentem mihi in mea cogi-
tatione.

tatione. Abi Pachon, decerta. Ideo enim permisi in te tantam exerceri potestatem, ne tibi esset elatior, & arrogantior spiritus, perinde ac ipse posses hanc superare affectionem: sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in tuæ vitæ instituto nunquam haberes fiduciam, sed recurreres ad Dei auxilium. Sic autem admonitus, & confirmatus, ad cellam sum reuersus, & deinceps sedens cum fiducia, & nullam belli curam gerens, reliquos dies egi in pace. Dæmon autem cùm cognouisset meam eius despicientiam, pudore deinceps affectus, ad me non accessit amplius. His verbis cum ad luctam aduersus Satanam me confirmasset, & ad bellum instruxisset, & aduersum Dæmonem fornicationis me parasset ac docuisset, dimisit, iubens vt forti animo me gererem in omnibus. *Non arbitror temerè esse factum, vt verba hæc hoc loco ipsa referrem, quippecum habere viderentur arcana cœlestia, spiritualisque scientiæ altitudinem, ob quam omitti non deberent. Vides diuturna tentationis tempora, perseuerantiamque senis insuperabilem? Vides offerre ipsum se se morti, ferasque non parcere modò ei, sed etiam honorem vltrò exhibere? Vides id parum esse, Dæmonesque saniores insurgere, quàm bestias? Vides quid antiqua monumenta, imaginesque rerum possint? Vides quanta fuerit perturbatio mentis etiam absque peccato? Vides quàm sit periculosa superbia in omnium animis, & quàm difficilè humilitas acquiratur? Hæc senectus similis est casibus alte-*

*rius*

Cap. 45. *rius senis, de quo Sophronius refert, qui in medio feruore pugnæ, cùm castimonia ipsius oppugnaretur, hæc aiebat;* Quandiù non dimittis me? Recede iam à me, qui mecum consenuisti. *Sed quoniam tetri spiritus inferorum diuersas veneni artes callent, aliusque alium ferocitate æquat, dicendum est aliquid de illis, quibus blasphemiæ quasi spiritus quidam euenit; qui quidem spiritus adeò sæuus est, vt à Climaco propter atrocitatem suam, infamemque radicem, ineffabilis appelletur. Aegerrimè vincitur ab illis, quos medicos spirituales dicimus; aptissimumque remedium est, sicuti Climachus tradit, nusquam pugnare cum eo spiritu, sed contemnere penitus eum, atque flocci facere. In hac calamitate non ieiunia, non flagra, non dolor, remedio erunt. Ac licet à Dæmone malo turpitudo hæc proficiscatur; proficiscitur tamen sæpe etiam ab humore melancholico, ab iracundia, facilique ad excandescendum temperamento. Mala spiritus huius sunt eadem, quæ mala scrupulorum; siquidem nequeunt distinguere consensum voluntatis ab simplici comprehensione animi, siue intellectus; atque ideò tentatum vtrumque hoc hominum genus affirmaret à se fuisse consensum tentationi, etiamsi minimè consensum esset. Hac autem difficultate superata, sublataque suspicione praui consensus, nascitur alia, nimirum de ablegandis procul ab animo nostro cogitationibus hisce monstruosis; quæ quidem cogitationes subeunt, & exeunt omnibus horis, ceù importuni hospites in alieno Domicilio tumultuantes, ac molesti. Et quamuis culpæ metus absit, manet*

*net tamen infestatio mentis, & molestia. Quod vbi fiet, confugiendum est ad remedium illud primum, vt nimirum tota res obliuioni detur, neque de ea soliciti simus. Nàm sæpè fœdæ istæ imagines proficiscuntur à consuetudine quadam, quæ in animo nostro inueterauit; duratque ad aliquod tempus, & postea dilabitur, & euanescit.*

## PECCATORES ALIQVOS non tentari.


### Caput XIV.



*ECCATORES verò sunt omninò iustis hominibus contrarij, & diuersi; cùm enim minimè tententur, tranquillè viuunt, seque non peccatores, sed iustos esse homines putant. Horum hominum magnus est numerus, & magna fallacia, cùm iusti videantur esse, nec sint tamen. Id fit, quia Dæmones contenti sunt eorum vita, nec vltrà quicquam desiderant, noluntque solicitare eos, & irritare. Nàm etiam maligni spiritus nouerunt instabilitatem humanæ mentis, simulque vim gratiæ cælestis. Atque victoria hac, quam ipsi de peccatoribus reportant, similis est artificio, quo maximos pisces, & monstra marina nonnulli venantur. Non postquam talia monstra, piscesque cæpere iniecto faucibus hamo, remittunt deinde funem, vt violentia, & celeritate piscium ipsorum non frangatur. Accedit etiam, quòd mi-*


*nimè tentantur sensuum, & corporis motu, neque rebus extrinsecùs oblatis, neque malignis aliorum persuasionibus, quia scilicet non pugnant ipsi cum hostibus eiusmodi, sed eorum voluntati facilè obsequuntur. Ideò sapienter, & acutè Climachus ait in hunc*
Gradu. 27. *modum;* Nullum certius argumentum est, quòd Dœmones à nobis victi sint, quàm si nos acerrimè oppugnent. *Quod autem Climachus ait de Dæmonum malitia, id ipsum de inimicis alijs dici poterit, qui semper nobiscum pugnant. Vt autem intelligatur huius diuini mysterij altitudo, dùm tentationes ingruunt in iustos, non autem in prauos homines; & quomodo fiat, vt sanctimonia illorum, & horum malitia lateat in occulto, consideretur id, quod*
Cap. 3. *eximiè à Sophronio traditum est. Is narrat, probum sacerdotem à Deo petijsse, vt tentatione concupiscentiæ liberaretur; & quia non exaudiebatur, deserto munere secessisse in solitudinem, ibique Diuum Ioannem Baptistam apparuisse homini, atque ità allocutum esse; Credas mihi Conon (id enim homini nomen erat) adhuc te non esse tentatione ista liberatum, quia magnam tibi mercedem istius molestiæ paraueram, sed quia video hanc tibi mercedem minimè placere, ecce liberamus animum tuum; atque ità liberatus est. Sic tractant sancti suos amicos, minimèque audiunt eos, quia maiorem eorum gloriam moliuntur.*

DE



# DE
# VERA, ET OCCVLTA SANCTITATE
## LIBER TERTIVS.

### DE
### ARIDITATE NOSTRI SPIRITVS.
### Caput I.



*I ea, quæ diximus, quæue dicenda etiam restant, intueri volumus, non semper verum illud esse reperietur, quod vulgo aiunt, nempè neminem omnium esse silentij laborem. Quinimò Libri huius argumenta comprobari videmus aliud celebre dictum, proprium scilicet esse hominum ignarorum, vt suam vnicuique conditionem, & vitæ statum aperiant, cùm sapientes homines malint suam ipsorum conditionem ignotam esse, & occultam. Atque ideò videmus admiranda quædam artificia quasi plena consiliorum, & militarium machinarum, quas in hoc spiritus prælio nonnulli adhibuere, atque fraudes, & odia, & stratagemata, damnaque tum pro-* Eurip. Oedip. Sto.Scr.108.

*pria,*

*pria, tum aliorum videbimus in hoc nobili genere adhibita, & versata. Verùm in quanam tandem Schola nouæ istæ artes, & arcana ista Dei seruis innotuere? Aut vndenàm ea didicerunt? Ex ipsa vtique didicerunt agendi ratione, & forma, quam Deus ipse cum illis adhibere consueuit, impenetrabili scilicet, & noua. Nam occultat in eorum animis se se Deus; ac sicuti cecinit Orpheus; cerni non potest oculis, densaque caligine circumseptus manet. Atque non minori sapientia fortasse etiam alius cecinit, scire Deum, & posse benefacere varijs modis, cùm alicui benefacere vult. Quamobrem minimè mirum est, velle Deum interdum locupletare animos nostros cælestibus donis, eadem ipsa cælestia dona nobis adimendo, sicuti accidit illis, qui constituti sunt in summa indigentia cælestis solatij, quiue iacent velut arida arua absque vllo humore, quo irrigentur. Ac sane admirabile hoc est, steriles campos fœcundos fieri; & rupes asperas scatere frugibus, arenasque ardentes germinare, sicuti in afflictis hisce videmus, qui non æqualiter, neque eodem tempore, neque occasionibus ijsdem tanguntur flagello solis huius, quo tantopere consumuntur, & vruntur. Nàm aliqui sanctioris vitæ principio non senseve flagella, alij non sensere in itineris progressu, alij non in fine. Item eorum aliqui per interualla exercentur, nunc lætitia, nunc tristitia, & veluti reciprocante quodam æstu, assiduè turbantur. Pariter alij in ipso celebritatum sanctissimarum tempore, molestijs hisce magis conflictantur, & reliquis deinde temporibus tranquillè agunt. Præterea, etiam si raro fiat,*

Apud Clem. l. 5. Strom.

Pind. Olymp. Odæ 8.

*fiat ; nonnulli tranquillam egere vitam, cum plus, aut minus cælesti voluptate perfruerentur. Verùm rarò id fieri, iterum affirmamus; ac fortasse vnicum afferre possem exemplum Baptistæ illius Genuensis, quæ Libros edidit. Aliquæ verò animæ pascuntur assiduè hoc amaritudinum cibo; eaque miserabilis vita alijs prætereà solicitudinibus oneratur, quæ extrinsecùs adueniunt. Denique experti sunt semel, iterumue tantùm cælestia solatia, ex quo se se ad vitæ perfectioris studium contulere; suntque istæ potiùs illuminationes, & illustrationes, quàm affectus vlli; atque inde magnum sumpsere robur, & in fortitudine illius cibi diù per deserta vitæ huius ambulauere. Atque sunt hæ veluti voces, & vocationes diuinæ, spiritualesque salutationes, quæ magnam vim habent. Quòd autem ad id attinet, quod generatim solet accidere omnibus Dei seruis saltem in aliqua vitæ ipsorum parte, constat eos semel ictos fuisse huiusmodi sagitta, sicuti Seraphico Francisco accidit, discipulisque ipsius, & Catharinæ Senensi, & Angelæ Pholiniensi; & Baptistæ Varanensi, & Thaulerio illi, qui tantopere contemplationi deditus fuit, & Enrico Sosonensi, & alijs prope innumerabilibus.*



## DE MVLTIPLICI ariditatis genere.

### Caput II.



*ATQVE vrtica ista, vepresque aculeati non solùm varijs temporibus lacerauere pectora contemplantium, sed etiam varijs modis id factum est. Ex quibus, vt aliquid attingamus, vnum genus erit, cùm mens penitus alienata est, & varijs curis occupata, quibus turbatur, & inquietatur; atque genus hoc distractionis potiùs, quàm ariditatis nomine ego appellandum censerem. Secundum genus est, cùm attonita manet anima, sensusque interiores velut oppressi iacent, & capti somno. Tertium genus est, cùm mens profert actus proprios, & illos etiam, qui perfectissimi sunt claro cum lumine, & tamen non sentit partem vllam suauitatis ad interiora redundare. Diuinum interdum experimentum id erit, sed interdum etiam pœna, suppliciumque culpæ alicuius, quæ die illo, vel paulò antea commissa fuerit; idque totum in pœna etiam, ac supplicij loco accipiendum est. Quartum genus est, cùm spiritus ipse etiam in perfectissimæ virtutis actionibus minimè multa suauitate perfunditur, sed sentit nihilominus solidam quandam, veramque voluptatem, sicut qui boni succi, sed austeri saporis cibum aliquem sumit. Quintum genus est, cùm anima castigatur, atque reprehenditur à Deo, quasi ad comprimendam auda-*

*ciam, spiritusque nimios coercendos. Sextum genus est, cùm intellectus, & voluntas diuinitus inuitantur ad actus amoris, & intelligentiæ; & ad quærendam coniunctionis cum diuinitate ipsa facultatem; & nihilominus calor non insurgit animo, potiusque tepiditas quædam manet. Tunc cor veluti caret calore diuino, cæteræque partes, & potentiæ confugiunt ad Deum, vellentque ibi adhærescere; ac tunc quoque non multa suauitas sentitur; immò molestia quædam inest, quia motus hic animæ videtur nobis gemitus quidam, & appetitus veluti deuinctus, & impeditus; ne satiari possit, atque illuc euolare quò vellet. Ac si exemplo vtendum est, hæc sunt velut quæ somniant nonnulli se facturos esse, vel facere iam, sed magno cum labore. Septimum genus est, cùm anima contemplans non reperit sibi liberum commercium, vllamue cum Deo vicissitudinem; ac tamen viget in eo calor, affectusque sensibilis. Octauum genus est, cùm vix possumus concipere animo, atque proferre interiores amoris actus, confidentiaque erga Deum, etiamsi tunc ad contemplandum attenti simus; atque id etiam si ita se habeat, videtur tamen animus noster non posse concipere actum vllum, neque elicere ex corde propter summum languorem; quia veluti glacies est ibi; ac penè emortuum est.*

DE

## DE CAVSIS ARIDITATIS.

### Caput III.



*UOD si aliquis diceret, vnam posse causam ariditatis afferri, quòd ex voluntate diuina proficiscatur, non ille rectè definiret, argueretque hoc ipso suam inscitiam. Nam præter causam illam primam, quæ producit effecta, reperiuntur etiam causæ secundæ, quas à nobis considerari oportet. Atque ideò dicimus, causam esse verè diuinam voluntatem, quæ designat, atque definit, vt animæ, quas esse saluas oportet, hac potius via, quàm illa seruentur, & modo potius vno, quàm alio accipiant illud æternæ destinationis beneficium. Ideò etiam non omnes Apostoli conquieuere in pectore Christi Saluatoris; alij separatim à cæteris inuitati sunt, vt cum ipso Saluatore ascenderent in montem, cæteri ad radices montis relicti fuere. Alteram afferre causam possumus, quòd Deus ipse videt magis expedire animæ illi, si afflicta, & consternata relinquatur, videtque solatia, & dona fore tanquam venenum. Tertia causa est ex eo quòd Deus hoc supplicij genere puniat præteritas culpas, siue notæ sint, siue minùs notæ, vel ob nimiam nostram rerum humanarum curam, atque solicitudinem. De Virgine Lyduuina, tradit Ioannes Brugmannus, proptereaquòd fratris mortem paulò ægriùs tulisset, caruisse aliquandiù Raptuum dono, ac desiisse apparere Anachoretæ Gerardo, sicuti antea solebat.*

*solebat. Eidem Lyduuinæ iterum cessauere Visiones, & cælestia solatia, cùm Petronillæ Virginis, consanguineæque suæ morte, quæ ipsi ministrabat, acerbiùs indoluisset. Quarta est causa propterea quod diuina sic Maiestas nostri spiritus perfectionem periclitetur, sicuti metalla artifices fornacibus experiuntur; atque ideò magna fuit ærumna, laborque Dei Seruorum, dùm experimento hoc, alijsque similibus tentati fuere. Quinta est causa, vt augeantur merita, pœnaque minuantur; quas cætera nostra peccata fortasse meruere sempiternas. Sexta est causa ex status nostri conditione; nam illi, qui rebus externis occupantur, quiue in actuosa vita versantur, fortasse minùs habebunt huiusmodi solatiorum, ne cælestis huius fructus dulcedine à cura sui muneris abducantur. Septima ratio, & causa ducitur ab naturali temperamento, corporisque constitutione; nam fortasse melancholici, & austeri, siccíue, minùs apti erunt ad percipiendam talium ciborum suauitatem. Octaua est ex aliqua extrinseca conditione, quæ potest ità confundere, ac perturbare nostrum animum, vt feruor ipsius magna ex parte restinguatur; si videlicet parùm idonea precandi tempora sumantur; si locus parùm aptus sit; si debilitas; si morbus, si humorum inæquabilitas obstet; si etiam sumpta ad meditandum materies parùm apta sit, vel propter altitudinem suam; vel propter quandam aliam sui conditionem. Iam igitur rebus hisce, causisque propositis, poterimus facilè inuestigare, quinam morbus sit noster, atque vnde damna nostra proficiscantur; idque vbi inuestigatum erit, facilè reme-*

In eius Vita parte 3. c. 7.

*dium inueniemus, memores semper, ineptos esse medicos, qui non laborant, vt cognita morbi causa, remedium adhibere opportunum possint.*

## DE QVODAM PERFECTISSIMÆ ariditatis genere.

### Caput IV.



*VOD si dicere vellemus in harum causarum consideratione, ex quibus causis ariditas hac manat, omnes eas indicia esse sanctitatis, & esse quasi velum quoddam ad occultanda aliorum merita; id sanè diceretur, quod à vero longè alienum esset. Illud quidem dici potest, quasdam earum causarum instrumentum esse Numini æternæ mentis ad inumbrandam aliquorum insignem sanctitatem, & lucem. Id autem vbi fit, tanta est in Sanctis illis magnitudo meriti, vt si constantissimè perseuerent, veluti Martyres absque sanguine appellari possint. Illustrior erit hic locus, si verba ipsa subiecero, quæ dicta mihi olim ab inclytæ sanctitatis homine fuerunt, quæ propter rei excellentiam alibi fortasse retulimus. Is de Martyrum illorum perfectione, ac virtute differebat in hunc modum; Homines isti miracula nulla vident, & fide abundant; sperant, nec spei suæ pignus, fidemue vllam accepere: Nulla datur illis beneuolentiæ significatio, & flagrant tamen charitate. Arbitror autem ego minimè ingratam fore curam legentibus hæc fortasse scrip-*

*tà; si subiecero locum etiam alium ex Henrici Susonensis Libro, quem ille de Rupibus scriptum reliquit. Estque locus iste in Nonæ Rupis descriptione, quam Scriptor ille cæterarum altissimam, longèque perfectissimam facit. Sed quoniam obscurior est Henrici sermo, longiorque quàm captus, & memoria nonnullorum ferat; præcipua Capita colligemus, quò magis tota res in promptu esse possit. Capita autem ea sunt huiusmodi.*

*Tales homines, inquit ille, solent esse constitutione corporis debiles, quippecum labor eos diuturnus fregerit: Pauci sunt numero, & cum satis nouerit eos fama, minimè tamen nouit.*

*Hominibus istis propter humilitatem suam potiùs timori sunt superuenientia solatia, quàm voluptati, etiam si ab Diuina Bonitate proficiscantur.*

*Solatium nullum diuinum expectant, seque statuunt indignos, quibus Diuini muneris pars vlla contingat, neque requirunt talia, neque vltrò vsurpant.*

*Quicquid agit in ipsos Deus, & quicquid diuinitus alijs tribuitur, gratissimum est, & pari iucunditate afficiuntur.*

*Magni sunt Crucis amatores, & omnia humana oblectamenta recusant.*

*Infrà res omnes creatas se se despectant, neque audent se se cum vllo mortalium comparare.*

*Iam emortua est ipsorum vita rebus humanis, sensusque, & facultates cæteræ intelligentes in ipsis obtorpuere, ac sunt veluti mors ipsa, proprijque nihil tenent.*

*Quodam-*

*Quodammodo perdidere se ipsos; & in quadam docta ignorantia ætatem agunt.*

*Experti sunt omnia tentationum genera, neque reliqui iam est quicquam vnde tententur; suntque tamen ita affecti; vt si tentationes vndique omnes superueniant, eas excipere læto animo parati sint.*

*Habitus hic animi durat ipsis ad extremum vsque spiritum, ariditasque ipsa in vltimum vsque diem manet aliquibus eorum, occultatque se se Deus illis, donec anima è corporis vinculis excessit.*

## DE REMEDIIS.

### Caput V.



*VONIAM autem verissimè dictum est, non omne ariditatis genus esse illicò probandum, accipiendumque libenter, quippecum ariditas alia proficiscatur ab laudabili causa, & alia rursus ab minùs laudabili, sæpèque improba; ideo expedit remedia parare, quæ vbi opus sit, adhiberi possint. Remedia autem esse quatuor existimo; ac primum quidem huiusmodi; abducere animum ab rebus humanis, saltem affectu ipso, & voluntate; non enim, sicuti vulgare verbum habet, duobus seruire Dominis contingit. Secundum remedium est, exuere immoderatam habendi cupidinem, atque omnia collocare in hac spiritus iucunditate. Tertium, non magnopere eniti ad contemplandum, itaut spiritus euanescant, & natu-*

*rale*

*rale temperamentum dissoluatur, atque labefactetur. Extremum autem remedium est, vt adhibeantur extrinsecùs omnia, quæ possint faciliorem, expeditioremque reddere hanc contemplationis viam. Atque de tota re satis hactenus dictum est, vt intelligatur in quo positum sit meritum ariditatis, quibusve modis sapientia diuina occultet nostra bona nobis, aut aperiat.*

## DE SCRVPVLOSORVM POENIS.

### Caput VI.



*TQVE artem hanc ipsam adhibet etiam æterna illa sapientia ad occultandam beneuolentiam infinitam, qua Seruos suos nonnullos prosequitur, immittendo ipsis ærumnas, quibus immissis, & vrgentibus credant ipsi, sese magnos esse peccatores, & quia tales sint, credant viuendum esse sibi indubia semper expectatione suæ salutis. Et quamquam hic animi habitus non sit vsquequaque perfectorum proprius, sed maximè incipientium; fieri tamen potest, ità permittente Deo, vt ipsi etiam perfectissimi ità affecti reperiantur. Quamobrem non semper verè dicitur, timores insolitos, & anxietates illas scrupulosorum communi verbo sic notatas, ingruere in eos, qui sint adhuc incipientes, & minùs perfecti, etiamsi plerunque tamen ita sese res habeat.*

*Sed lubet digredi parumper, & inquirere cur nam scrupulorum molestiæ fermè propriæ sint eorum, qui perfectionis viam tentare, atque ingredi cœperunt. Ac prima quidem causa afferri hæc potest. Nuperrimè egressi sunt ex rerum humanarum Ægypto, ac ne reuoluantur ad priores ollas, facit arte magna Deus, vt quàm longissimè abducat eos, atque cogat errare per inuia, & aspera, & longinqua, vt nimirum ærumnæ illæ præsentes opprimant omnem præteritarum deliciarum memoriam. Secunda causa ex Hebraicæ gentis similitudine ducitur in hunc modum; Homines isti in ipso promissæ terræ limine incidunt in agmina scrupulorum, sicut Hebræi quondam Iebusæos, & Pherezæos, aliasque rebelles Gentes inuenere, cum quibus diù præliari necesse habuerunt. Tertia causa est ex timore, & anxietate, quæ animi nostri spiritum, & sensum ex multitudine scrupulorum afflictat, nimiasque vires debilitat, & frangit, corpusque ipsum etiam eneruat, & partem vtramque coercet, quæ partes initio viuidæ nimiùm, & robustæ erant. Quarta est, quia proprium illud habetur hominum imprudentum, & modici vsus, cùm negocium aliquod aggrediuntur, declinare ad extrema, neque consistere vnquam in medio, nihilque moderatè agere. Accedat denique hoc etiam inter causas, quòd nimirum comprehensio vehementissima, viuæque imagines præteritorum periculorum, quibus defuncti sunt, ita perterrent animas eorum, vt veluti qui naufragium fecere, postquam etiam in sicco vestigia posuère, trepidè adhuc, & pauentes auertant oculos*

ab

*ab conspectu maris; illiusque minas perhorrescant. Sed hisce scrupulorum molestijs angi, turbarique eos, quorum minùs perfectè exculta mens est, haud sanè mirum videri potest. Verùm apud omni virtutis laude cumulatos, eas sæuisse molestias historiæ docent; Sanctamque Lutgarden Thomas Cantipatranus refert, inenarrabiliter torqueri solitam adeò quidem, vt preces horarias bis, terve repeteret ob scrupulos, quibus assiduè solicitabatur, neque solatia vlla admittebat. Interim ad eam venisse diuino instinctu Pastorem vnum, rudique, vt erat simplicitate, dixisse, multis audientibus: Ne in posterum, Lutgarde, scrupulorum molestias in recitando officio admiseris; pietas enim tua, precesque sunt acceptæ Deo. Id effatus, abijt è conspectu, liberamque praua religione Lutgarden reliquit. Post aliquot inde dies oblatæ sunt ei visiones, quæ id ipsum affirmabant. Alibi ego de natura scrupulorum egi, causasque diuersas assignaui, vnde molestiæ illæ nascerentur, ac nihil inde transferendo in hunc locum, id vnum dico, molestias eas scrupulorum, quibus plerique in recitatione diuini officij, & in re diuina peragenda solicitantur, originem quandam huiusmodi habere, sicuti mihi quidem videtur. Naturæ nostræ conditio dùm ea magno aliquo impetu connititur, tam intelligentiæ, quàm voluntatis actione ita debilitatur, atque frangitur, completurque tædio, vt cùm naturaliter aliquid agimus, refugiat ipsa à rebus illis, quæ tantopere eam afflictauere; idque contingit fermè sine sensu, & cum violentia quadam, velut equi vmbrarum pauore subsistentes,*

Thomas Cantipratanus lib. 2.c.14.

Scrupulorum origo.

tentes,

*tentes, ac progredi vlteriùs nolentes. Existimo ego, conditionem hanc esse multorum incipientium, aut etiam eorum, qui iam progressi scrupulis inquietantur; nam adeò violenter, & attente versati sunt in aliquo munere, vt natura fatigata cœperit esse contumax aduersus rationis imperium, & velut bestia quædam quærat sibi quietem. Quòd si dicatur, scrupolosos anxiæ religionis homines magna voluntate, studioq; teneri, & flagrare recitandi exactè Officium, precesq. Diuinas, respondemus, hanc animi voluntatem, atq. dispositionem, effectum esse gratiæ; non autem naturæ, quæ terminum laboris, & quietem amat. Atque ideò cùm verè hæc dicta sint, remedio erit, ne nimis efficaciter id ipsum cogitent, quòd diuinas recitare laudes certa lege debeant; non item speculari sensa laudum ipsarum; oblectari cogitatione aliqua pia, & cauere, ne ad officij recitationem fessi iam, & afflicti accedant.*

## DE GLORIA MAGISTRATVVM,

### Caput VII.



*IDEBIMVR fortasse nimium magno saltu transilire ad extrema, medijs omissis, cùm à pœnis ad oblectamenta, & ab ignominijs ad gloriam transeamus, quam scilicet honores, & imperia secum afferunt. Sed ego considero, mirificas esse diuinas vias ob hanc quoque causam, quia Deus*

*adhibeat ferme instrumenta contraria; dùm aliquid molitur. Hinc est, quòd tàm glacie, quàm flammis eadem Diuina Sapientia vtitur; atque deprimit extollendo, & illuminando obscurat. Atque ideò dicemus nunc, quomodo fiat interdum; vt splendor aliquorum sanctitatis obscuretur etiam splendorum humanorum instrumento. Atque locum hunc narratione nonnullarum rerum illustrari oportet. Tempore, quo Vir Sanctus Augustinus Mediolanum venit, estque à magno Pastore Ambrosio humanissimè exceptus, consuetudoque nonnulla esse inter Sanctos cœpit, visus est Augustinus de magni Pastoris vita, & institutis ità iudicare, vt statueret non solùm plena omnia esse sanctitatis, & prudentiæ, sed comparari posse vitam illius cum eorum vita, qui veluti cœlestes animæ in mortalium cœtu versarentur. Ac de ea re extant ipsius Augustini verba hæc;* Ipsumque Ambrosium felicem quendam hominem secundum seculum opinabar, quem sic tantæ potestatis honorarent, cœlibatus tantum eius mihi laboriosus videbatur. *Visa tunc Augustino nimium magna res est, regere Populorum agmina, numerumque mortalium propè innumerabilem, nec sacris solùm præesse hominibus, sed profanis quoque Magistratibus; curamque, & ærumnam ullam penetrare posse ad turbandam illius pacem. Attamen quantoperè id à vero distabat; innumerabiles enim fuere molestiæ, laboresque sancti Doctoris, agebatque vitam ille inter assidua pericula, dùm perfidum Arianorum genus, potentia Imperatoris, Populorum quoque scelera san-*

Augustinus Mediolanũ venit.

Lib. 6. Cõfess. c. 3.

Augustini admiratio de D. Ambrosio.

ctam illam animam insensissime circumstarent, & erat vtique ærumnosissimum vitæ genus, quam Sanctus Pater Ambrosius viuebat. Ac tam laboriosus, attentusque operi fuit ipse, vt ità traditum sit, vix potuisse septem Episcopos agere ea, quæ solus ipse in cura, & gubernatione sui gregis agebat. Atque inde factum est, vt fortitudo animi, labores, & sudores, & vigiliæ, & vniuersa Pastoris illius perfectio longè maior esset, quàm homines vlli cogitatione assequi possent. Ità nimirum Deus occultat Seruorum suorum altitudinem, etiam ad altissimas eos dignitates euehendo, quas deinde vulgus insanum paruipendit, accipitque ita, veluti si insignia tantùm gloriæ, solatijque essent. Itaque illustris de Diuo Basilio locus id ipsum, quod anteà proposuimus, declarare potest. Enim aliquando viderat Ephrem Syrus, dùm in Templo ageret circumfusus choro Sacerdotum inseruientium, erecto ad venerationem eius Populo; tuncque magnus ille Anachoreta in eo negotio magnitudini suæ dissimilis ità exclamauit; Quidnam est illud, quod oculi mei nunc vident? Vigilantur mihi totæ noctes, corpusque hoc assiduè maceratur, vt diuinæ gratiæ partem mereri possim; atque hic auro nitens, & gemmis in regali velut solio sedet, affluentemque delicijs, & honoribus vitam agit. Cùm hæc ità secum cogitaret, diceretque perturbatus Ephrem, placuit Deo, vt ex psallentis Basilij ore flamma quædam exiret, quæ in cælum ferebatur. Ea species, & ea lingua intuentem Eremitam illuminauit, illiusque animus ad veritatem agnoscendam est excitatus, agnitoque erro-

re se

Ambrosij labores.

Ephrem Syri admiratio de D. Basilio.

*re se ipsum incusans huiusmodi verba pronunciauit;* Verè magnus Basilius, verè columna ignis Basilius, re vera Spiritus Sanctus loquitur per os eius. *Magna est, si verum dicere licet, absque alicuius offensione, magna est, inquam, aliquorum culpa, qui probis alioqui, rectisque moribus, & optimo animo, non faciunt tanti, quanti deberent, eorum sanctitatem, & merita, qui Populis præsunt. Homines huiusmodi sibi persuasere, horridam ipsorum vestem magis placere Deo, quàm vlla hominum merita, nec sentiunt quantopere in eo fallantur. Sanè non delaberentur ad ineptias huiusmodi, si litterati homines essent, ac si veterum scripta tractassent; inuenirent enim antiquitus ità fuisse institutum, vt Monachi, cæterique religiosi homines, qui intrà claustra vitam degunt, ad Templi valuas manerent: Neque sedes ea constituta erat, vt valuas ipsas custodirent, sed vt se ipsos agnoscerent, sicuti Dionysius ait. Sunt etiam qui dicant, assignatam fuisse propriam extrà Cancellos sedem, quasi nimirum extrà sacros ordines in reliqua Populi multitudine collocarentur. Etiam reperimus, quotiescumque numerantur ordines Ecclesiastici, vltimo loco numerari Monachos; ac si veterum Patrum in vlla re attenta, & acerrima fuit solicitudo, nusquam alibi maior fuit, quàm in describendis, ornandisque per templa locis, prout cuiusque ordinis merita, & dignitas postulassent, estque temerarium iudicare aliter, atque opinari. Demum nos ità statuimus, religiosos istos homines in Ecclesia Dei similes esse militibus illis, qui* sub-

Amphilochi⁹ in eius vita.

Dionys. Areop. Epist. 8. ad Demophilum.

Syn. Rom. s. Sylu. c. 7.

*subsidiarij, siue auxiliares dicuntur, talemque esse eorum operam erga Pastores, & Ecclesiasticos ordines alios. Extat de ea re Concilij Lateranensis authoritas habiti sub* [a] *Gregorio Primo, & Vienensis sub* [b] *Clemente Quinto, & Concilij Lateranensis sub Leone Decimo sessione vndecima, & Concilij Coloniensis tempore Pauli Tertij, Capite septimo, octauo, decimo, duodecimo, decimo octauo. Et quoniam Pontifices, alijque Principes Ecclesiæ distinentur innumerabilibus propè curis, quas secum vehunt gubernacula Populorum, ideò ne minùs caros, & acceptos esse Deo illos oportebit? Ac Reges etiam, & Imperatores minùs accepti erunt Maiestati Diuinæ, quia circumstat eos assidua cura regendi humanum genus? Nonne summa laus tributa est Theodosio, qui totas in contemplatione, studijsque litterarum noctes agebat? Ac tanta erat humilitate, vt æterna conseruetur memoria lucernæ illius, quam suis ipse manibus accendebat, ne alicui molestus esset. Præterea ieiunia, & verbera, & vigiliæ, & humilitas sanctissima non sunt propria tantummodo Religiosorum; ac meminisse deberent loci illius, qui de Iustiniano Imperatore apud Procopium est, nempè seuerè ieiunare solitum fuisse. Atque quò magis refugiamus à temeritate illa, qua nonnulli de aliena perfectione iudicare solent, referam hoc loco singula verba, quæ de Gregorio Magno sunt apud Ioannem Diaconum in ipsius vita; quæ sanè verba licet simplicissimè scripta sint, habent tamen sua mysteria, suntque plenissima veritatis;*

a Tom. 2. Cõc. b In Clemen. dudum, titul. de sepult.

Theodosij lucerna. Niceph. libr. 14. c. 3.

Lib. 1. Aedis Iust.

Libr. 2. c. 60.

Huius liberalitatis multitudinem quidam Eremita-

mitarum vir magnæ virtutis, qui nihil in Mundo possidebat præter vnam cattam, quam blandiens crebrò, quasi cohabitatricem in suis gremijs refouebat, cognoscens, orasse fertur ad Dominum, vt sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset, qui pro illius amore sæculum deserens, nil ex eius diuitijs possideret. Cumque nocte quadam dormiret, cognouit sibi reuelatum fuisse, vt cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi præparandam spectare debuisset. At ille fortiter ingemiscens, parùm sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantaquè suæ remotionis ieiunia putabat, si cum eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus diuitijs redundaret. Cùm verò Gregorianas diuitias suæ paupertati die, noctuque suspirando conferret, alia nocte quiescens, audiuit sibi Dominum in somnis dicentem. Quando diuitem non possessio faciat diuitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitijs comparare, qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando, nullique conferendo diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas diuitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo dispergit? Ita solitarius increpatus, Deo gratias retulit, & qui meritum suum decreuisse putauerat, si Gregorio conferretur, orare vehementiùs cœpit, vt cum eo mansionem quandoque percipere mereretur.

## DE OPINIONE, ET FAMA.

### Caput VIII.

*SED quis tandem crederet accidere posse, vt peruerso mortalium more, fallacibusque consilijs nonnulli praeter merita extollantur, manareque incipiat fama; quae ipsis incautis hominibus damnosa nimium, & perniciosa est. Non enim omnes similes erunt magno illi Francisco, qui diuini amoris ardore Seraphici cognomentum meruit; quem cum forte aliquis sanctum appellasset; pronunciauit ille verba haec digna verè, quae sempiterna hominum memoria custodiantur, Ne me sanctum appellaueris, nam possum adhuc fieri pater, & filios procreare. Quod sanè dictum semper mihi visum est humanae conditione maius esse, nec fortasse in tali tempore pronunciari quicquam illustrius poterat. Mos hic est hominum, vt vanitate sua sequantur ea ferme, quae fidem excedunt, sicuti pueri, & faeminae inanes; nam aut sine modo congerunt laudes, sicuti antea demonstratum est, aut aliena merita penitus ignorant. Cumque tam faciles ad errorem sint animi hominum, existimo debere omnes bonos in animum admittere antiquum illud Euripidis desiderium, qui sic exclamabat. Cur non deest spiritus, & vox rebus, vt aut artificiosi hominum sermones sperni possint? Nam falsis plerumque argumentis, & multiplici fraude obscuratur, tegiturque verum, & errorum velo inuolutum fallit homi-*

D. Francisci dictum. In Chron. Ordin. S. Franc. lib. 1. c. 66.

In Hyppol.

homi-

*hominum iudicia. Sed quoniam Dei amicos, ac seruos pari verborum laude; & rerum momento extolli oportet, tunc dicemus, veram illam esse virtutem, quæ licet occultata per spatium temporis aliquod, non solum respondet splendori verborum, sed fermè stat pari cum laudibus ipsis pondere, ac momento. At semper meminero ego sermonis ab grandæuo sene habiti apud inclytum Principem, cum ego quoque adessem. Namque Principem illum ita admonebat, vt qualem haberi se intelligeret, talis esse conaretur in Christiana perfectione, omnique genere virtutis. Neque in eo audiendi sunt adulatores, non illi tantum, qui ob artem suam infames, fugere cogunt, & erubescere tam impudenter laudatos; sed ne illi quidem, qui familiares, & amici nobis blando nimium sermone virtutes nostras extollunt, interea dum ad maiorem porro virtutum gloriam vocant. Atque in eo meminisse oportet Poetici in adulatorum genus dicti;* Viscus merus scorti est blanditia. *Referam rem, cuius recens memoria est corrigendis ineptorum moribus apta, castigandisque animis etiam in earum rerum consideratione, ob quas ipsi sese magnificè circumspiciunt. Decessit nuper illustris fæmina in hac vrbe nostra, quæ cum propter generis, & vitæ suæ famam ab omnibus magni fieret, valdeque celebraretur, venere in moribundæ cubiculum multæ aliæ illustres fæminæ, hisque etiam admixtæ obscuriores, quæ omnes ingemiscentes ob propinquam illi mortem, monebant ipsam, vt meminisset rerum multarum, quæ laudabiliter, ac sanctè ab ipsa gestæ fuissent, dabant-*

Senis dictum.

Nobilis feminæ morientis exemplum.

que

*quę omninò quasdam eiusmodi significationes, vt in Sanctorum numero collocare ipsam viderentur. At ipsa id suspicata, cum ingenti suspirio sic locuta est intermortuis vocibus; Hoc mihi videtur intolerabile, quòd vos bona tantùm exigua mea noscatis, si quid forte rectè agentem vidistis; multa verò occulta peccata, quæ commisi, videre non possitis. Fæmina tamen illa, aliæque superuenientes, pleræque dabant signa importunæ suæ erga illam pietatis; admouentes Rosaria manibus, humerisve; quos motus sentiens illa in extremo articulo sensibus ferè amissis, reijciebat earum manus, à quibus contacta erat, idque faciebat tanta vi, vt appareret quantopere moribunda factum illud abominaretur. Quam rem ego pluris æstimauerim, quàm alterum illud sancti hominis factum, qui accedente ad ipsum in extremo vitæ puncto muliercula, timoris signa dedit. Est igitur cautè agendum, & seuerè, imitandumque exemplum vnius, qui viuit adhuc, à quo cùm aliquis peteret suarum rerum nonnihil reliquiarum loco custodiendum; respondit ille; atqui peccata mea tibi dabò; nam hæc verè mea sunt. Acutè sanè ille, grauiterque respondit.*

Acutum responsum.

DE

## DE MORIBVS INVSITATIS, quos Deus instituit.

### Caput IX.



*ANITATUM autem istarum proficiscentium ex dictis, opinionibusque alienis, quàm nulla sit habenda ratio, nunc considerandum erit ex contemplatione morum, operumque quorundam, quæ præter communem morem Deus instituit. Neque dubium est, quin apud multitudinem imperitam, & apud perditissimos præcipuè mortalium, huiusmodi mores, atque opera irriderentur, & illuderentur, tanquam inepta res, & iudicio carentes; atque ità Deus occultabat altitudinem spiritus maiorum eorum hominum, quos ætates illæ haberent. Ac primùm quidem videamus quid Isaiæ acciderit, qui cùm nobilissimæ stirpis esset, huiusmodi à Deo mandatum accepit;* Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus. *Nonne credimus fuisse tunc in multitudine imperita nonnullos, qui ita locuti sint, sicuti improba illa Dauidis vxor, cum ità loqueretur;* Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. *Præterea reperitur ne quispiam hodie, qui sine stomacho, ac dolore, absque calceis, & absque toga prodire in publicum posset? Ieremias autem ipse,*

Cap. 20. nu. 2.

2. Reg. 6. n. 20.

Cap. 13. nu. 1.

*quem verisimile est humili vestitu, subinde sub Deo, vti solitum fuisse, cinxit aliquando sese Zona, quam intuentes multi admirari debuerunt, & quærere, cur nam Propheta tunc eiusmodi cingulum adhiberet. Debuit enim cingulum illud esse inusitatæ cuiusdam formæ, quo magis feriret, atque moueret animos, admirationemque afferret. Debuit insuper esse splendida res, & pretiosa, vt figura foret Israelitica pulchritudinis, ac splendoris, qui mox offuscandus erat, sicut etiam cingulum ipsum Prophetæ contaminatum*

Cap.27. nu.2. *est, atque dissolutum. Propheta porrò idem diuino*
Cap.28. n.10. *iussu magis adhuc inusitate egit, dum collo suo catenam ferream annecteret. Propheta item alius Eze-*

Cap.4.nu.4.8. & 12. *chiel magni nominis, magnæque apud omnes venera-*
Cap.4. nu.1.3. *tione, iussus est ita decumbere, vt per multos dies iaceret in latus vnum, ac deinde per dies totidem alios in latus alterum procumberet, ac præterea ligaretur in lectulo, ederetque, & biberet exacto ad trutinam pondere, contaminaretque cibum, & raso ore, & capite, labijsque decumberet; ageretque alia, quæ non solùm admirationi, verùm etiam irrisui esse intuentibus debuerunt. Neque dixerit aliquis, honorem aliquem habitum esse Prophetis; nam non deerant obtrectatores improbi, quibus cæteri fidem habebant; idemque Propheta inclytus Ezechiel iussus est afferre extra tectum suum supellectilem vniuersam, veluti si in tectum aliud transiturus esset, caueretque porrò, ne ianua egrederetur, sed perforaret sibi parietem, velaretque oculos, itaut terram aspicere non posset, atque alterius humeris efferretur, neque ipse pede con-*

tingeret

*tingeret terram? Quid tunc existimamus debuisse dicere multos talia monentes? Multique preterea testimonium illius non admisere; nam legitur iussisse Deum, vt hæc omnia in conspectu Populi agerentur: Si forte adspiciant, quia domus exasperans est.* Ezech.2.nu.5.

## DE INVSITATIS MODIS, ac moribus, quos Dei serui instituerunt.

### Caput X.



*IDEOR autem animaduertere, Dei amicos diuersis temporibus inuenisse sibi quoque nouos quosdam mores, idque non temerè ab ipsis esse factum, sed alio quodam consilio, caussisque arcanis; atque in eo sagacissimi, & solertissimi fuisse videntur, debetque pars ea comparari multis inclytæ famæ operibus, quæ patrata vnquam fuerunt. Nam aliqui eorum, vt quærerent sibi contemptum, peccata occulta manifestauerunt, quodque grauissimum flagitium habebant, id publice notum esse voluerunt. Ac fuere qui cùm flagitium in vita nullum admisissent, eam quæsiuere speciem, tanquam flagitiosissimi mortalium essent, eaque fama vt inualesceret, operam dedere. In qua arte semper ego maximi feci magnam illam nostri parentis Ambrosij artem, qui, sicuti scriptum est, introduci iussit in suas ædes famosas aliquot mulierculas, vt Populum ab eo consilio deterreret, quo Pastorem sibi ipsum postulabant: In quo genere non minus admira-*

D. Ambrosij mira ars.

Paulinus in eius vita.

bile

*bile fuit id, quod à Simone Sale factum est, sicuti* Lib.4. cap.33. *Euagrius tradit. Simon ille meretriculæ tectum ingressus, adhibuerat artem quasi clanculum ingrederetur. Ita ille quoque cùm sanctissimus esset, im-* Grad. 26. *puri hominis famam quæsiuit. Refert etiam Climacus de nonnullis alijs, qui forte læsi, & offensi, simulabant se esse ob id iracundia concitatos, animoque intereà tranquillo precabantur Deum pro eorum salute, à quibus iniuriam accepissent. Nonnulli etiam primas sedes affectare se simulabant; & alius oblatum forte racemum auidissimè vorauit, cùm nihil minùs appeteret. Alij lupanaria ingrediebantur, tanquam ob libidinem, & ibi meretrices ad Deum conuertebant. Alij porrò quasi mansuetiores erga se ipsos, cùm alicuius criminis incusarentur, nullo modo se se defendebant; cuiusmodi exempla Schola Diui Francisci affatim præbuit. Et quoniam honesti natales solent interdum afferre solatij aliquid, & honorifici, dedere sedulò operam perfectissimi homines, vt originis suæ splendorem occultarent, atque ideò patriam, & familiam, & nomen suum suppressere. Ac si manifestanda ea erant, fiebat haud sine contemptu; sic Diuus Franciscus filium se se nuncupabat Petri Bernardoni, hoc est hominis, cui cognomentum illud esset. Quòd si ea satis haud erant, vt omninò contemnerentur, gestu, & habitu, & vultu faciebant, vt non solùm admirationi non essent, verùm etiam irrisui, atque contemptui apud omnes haberentur, agebantque nonnulla valde aliena à propria conditione, vt imminutæ mentis homines existimarentur. Atque in hac*

hominum

*hominum classe consideranda, egregium occurrit exemplum Abbatis Ioannis Eunuchi, qui permotus incredibili quodam ardore charitatis, sumpserat sibi canes alendos, & formicas, & aues, quæ per tecta volitabant; qua nimirum simplicitate facilè persuasisset multis, se esse è mentis potestate deiectum, nisi generosus, magnanimusque spiritus ipsius consideraretur. Apud Nicephorum Callistum etiam est mentio quorundam Dei Seruorum, qui Græco nomine ἀπαθεῖς hoc est indolentes, & affectionibus, perpessionibusque omnibus liberi nuncupabantur. Hi gestu quodam incomposito, & absurdo significabant mentem sibi esse diminutam; atque ità gloriam inanem vitabant, quam extremam tunicam animæ deponere solet, sicuti ex Platonis authoritate Nicephorus idem ait. Huius autem vanæ gloriæ formidine quidam è Diui Francisci disciplina, cui Iunipero nomen fuit, cùm Romam proficisceretur, obuiosque haberet nonullos, qui honoris ipsius causâ processerant, cœpit ludere cum pueris quibusdam, seueroque vultu esse aduersùs amicos illos, ne quicquam responderet. Hi, qui sic mouentur, sæpè spectant id ipsum, ne vlla sui ratio habeatur, vtque intelligant homines, viles apud animum suum esse honores omnes, qui haberi vspiam possint. Uixit ætate nostra inclytæ sanctitatis homo adeò peritus huius artis, vt non solùm fallere posset improuidos, & incautos, sed etiam sapientissimum quemque, & rebus diuinis assuetum. Is fuit Philippus Nerius, qui postea Beati cognomentum est assecutus. Inter cætera præclara, quæ de illo feruntur, hoc accepimus, solitum*

Sophron cap. 184.

Lib. 14. c. 50.

Lib. 6. Chron. Ord. S. Franc. cap. 37.

Philippus Nerius.

*eum fuisse hortari quendam è sua disciplina, qui propter negocia frequens in aula Pontificis versabatur, vt non solùm humili vestitu incederet, sed curuus quoque, & hæsitans in sermone, variè offenderet eos, quos alloqueretur, quorumue oculos, & adspectum subiret. Sed placuit ità Deo, vt artes illæ nihil prodessent, virquè ille fieret Episcopus; de qua postea dignitate cùm apud patrem suum antiquum expostularet, aiebat ille; Tuo capiti sint ista; non enim id custodiuisti, quod à me præscriptum fuerat, iureque nunc excruciaris. Ac nescio, an Ephrem Syrus pares multos habuerit in re vna, cui animum adiecit. Senserat ille prope esse, vt Episcopus eligeretur, eaque re explorata, cœpit cursitare per fora, & vias, & lacerare sibi vestem, & in publico vesci, tamquam è potestate mentis exisset. Qua simulatione, cùm studia restinxisset hominum, penes quos eligendi arbitrium erat, abdidit se in latebras, vltroque delituit, donec alius eligeretur. Mihi semper ità visum est, occultas hasce artes numerandas esse inter magna spiritus arcana, easque diuina prudentia plenas esse, sicut etiam fuerit alta quadam, & diuina prudentia occultantium omni suo studio magnas suas virtutes, atque res admirandas. Id ipsum autem animaduerti sedulò esse factitatum ab eodem Beato homine, quem antea nominaui. Ac referam id; quod aliquando accidit. Visitando ægros, ille multis impetrabat salutem precibus suis, quod ille cùm sensisset; ad occultandam huius rei gloriam, sacculum quendam ferebat secum, admonebatque ægrotantibus. Ibi latere sacras reliquias homines suspica-*

Sozomenus lib. 3. Eccl. Hist. c. 15.

*suspicabantur. Sed vbi decessit sanctus ille senex, inanis crumena reperta est. Praecipiebat etiam idem, obscuranda esse in hominum conspectu dona caelestia, quae sint nobis concessa, summumquè studium in eo esse adhibendum; ac si fieri non possit, saltem diminuenda aliqua probabili ratione, causasque naturales afferendas, docendumque id fieri potuisse sine miraculo. Quòd si nihil horum fieri possit, credendum erit, merita, & fidem, & optimos mores non solùm haec, sed etiam alia maiora impetrare potuisse.*

## QVOMODO SANCTI HOMINES de se locuti sint.

### Caput XI.



*N eo autem, quod paulò antea diximus, Dei nempe Seruos suas ipsorum labes, & peccata manifestasse, vtile erit inspicere magis exactè, quemadmodum ipsi non culpas solùm, sed propensiones etiam malas publicè profiterentur. Atque in eo videntur imitati esse magnos illos Ecclesiae Principes, ac praecipuè Principem Apostolorum Petrum, qui noluit Euangelistas reticere suam ipsius culpam, viditque ille, & probauit, sicuti Hieronymus ait, Diui Marci Euangelium, recognouitquè ille fortasse nonnullum aliud Euangelium, antequam publicè in Ecclesia legeretur. Sanctus Paulus appellat se ipsum abortiuum partum, atque insectatorem, & se stimulis carnis vrgeri ait, ac* sentire

Marci c. 14. De Scriptoribus Ecclesiasticis.

*sentire legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, ac pleraque in eandem sententiam alia Apostolus idem de se testatur. Inter celeberrimos Ecclesiæ Doctores videtur mihi Diuus Augustinus primus omnium manifestasse Mundo suas miserias, & infir-*
Lib. 10. Conf. c. 36. *mitates; aitque ille de gloriæ inanis studio, non se intelligere, quàm sit ab illa peste mundatior; & alibi;*
Ibid. c. 31. Quotidianum bellum gero in ieiunijs, *& alibi;*
Ibid. c. 33. Voluptates aurium tenaciùs me implicauerant. *Idemque pleraque alia scripta reliquit, quæ arcanas ipsius culpas aperirent, nec solùm antequam ad conuersionem appropinquaret, sed postquam etiam perfectissimus esse cœpit, ac de eo tempore ita liberè scri-*
Hom. 24. c. 3. *bit;* Neque sic tumore vanæ mentis extollar, vt audeam dicere, ex quo huius muneris sarcinas porto, nullum à me hominem perperam læsum. Hoc cuilibet homini tam multis, & molestis actibus occupato, atque distento, ne dicam impossibile, certè difficile est: quanto magis mihi, qui noui infirmitatem meam, quam cum meis, & pro me vestris orationibus diebus, ac noctibus offero sanandam Domino Deo meo? Diuersarum ergo curarum æstibus, ac difficultatibus conturbatus, si quem forrè non, vt poscebat, audiui: Si quem tristiùs, quàm opus erat, adspexi: Si in quem verbum durius, quàm oportebat, emisi: Si quem corde contribulatum, & opis indigum responsione incongrua conturbaui: Si quem pauperem mihi in aliud intento importuniùs insistentem vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui:

tristaui: Si cui de me falsi aliquid tanquam homini de homine suspicanti iusto acerbiùs indignatus sum: Si quis in sua conscientia non agnouit, quod de illo humanitus suspicatus sum; vos, quibus pro his, atque huiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem. *Secundum autem huius laudis locum tenet Beatus Gregorius Nazianzenus, qui Dæmonem sic est affatus;* Fuge à meo pectore hostis versute; fuge quamprimum. Fuge à meis membris, fuge à mea vita. *Et aduersus carnem ipse suam sic ait;* Caro perniciosa maligni Belluę fructus; *Et pleraque alia ad eandem formam, quæ inter summi Magistri scripta extant. Sed illud prætermitti non potest, quanto candore animi, quanta simplicitate Christianæ humilitatis magnus ille Theologus ostenderet flagrantissimo ardere desiderio, vt de se ipso aliquid scriberetur. Nam extrema verba in oratione, qua Diuum Basilium laudauit, huiusmodi sunt;* Atque hanc quidem a nobis orationem habes: nos autem post te vita perfunctos quis laudaturus est? Si tamen aliquam laudis materiam orationi suppeditauerimus. *Vera humilitas non timet ipsam superbiæ notam; atque dum timet ipsum superbiæ vitium, non timet communem in eo famam, aliorumque vana consilia, & suspiciones contemnit. Magno animo denique Gregorius Magnus, cùm magnum illud Moralium opus absoluisset, expostulat, quòd se aliqua laudis dulcedine tentari sentiat; atque in fine Operis deesse menti suæ vigorem, atque habilitatem eam,*

Gregor. inter Opusc.

Vera Humilitas.

Mm cum

*cum qua ad scribendum accessit. Iam verò quanta simplicitate, atque libertate Spiritus Sancti, pectus illi aperiebant, calamitatesque suas? Alibi Sanctus idem Gregorius in Populi totius conspectu de se sic loquitur;* Otiosis verbis sæpè implicor; & ab exhortatione, atque ædificatione proximorum torpens, & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus, & verbosus: mutus in necessarijs; verbosus in otiosis. *Ac de suis morbis, & ægritudinibus ita loquitur;* Inter quos quid aliud debemus, nisi semper delicta nostra ad memoriam reuocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccauimus, ex carnis afflictione purgamur.

Hom. 11. Ezech.

Lib. 9. Epist. 25.

## DE OCCVLTATIONE SEXVS.

### Caput XII.



*ISTA porrò Sanctorum dissimulatio eò progressa est interdum, vt sexum etiam occultauerint; quod quidem ego non affirmo nunc fieri passim licere, sed ipsis licitum fuisse contendo, atque dissimulationem eam citra errorem ipsis stetisse. Sic.*[A] *Athanasia,* & [B] *Apollinaria,* & [C] *Marina,* & [D] *Fochina,* & [E] *Euphrosina,* & [F] *Pelagia,* [G] & *Eugenia, Theodora, Margarita, cui nomen Pelagius fuit,*

A 9. Octobr. Metaphr. apud Sur.
B 5. Ianuarij.
C 8. Febr. Metaphr. apud Sur.

*fuit, sexum occultauere; sed non tamen antiqua hæc, & inclyta exempla faciunt, vt id ipsum licere alijs omnibus possit. Quòd autem non liceat, confirmatur authoritate Sancti* [A] *Ambrosij, Concilij* [B] *Gangrensis, &* [C] *Sancti Thomæ testimonio; atque ideò Diuini Spiritus instinctu fiunt illa tantùm, intelligiturque inde, quàm sit interdum periculosa imitatio. Nàm inclytæ illæ mulieres nihil agere poterant, quod magis deceret, minusque obesset. At si quæpiam alia mulier eadem facere aggrederetur, nulla habita præterea ratione recti, & honesti; quot mala protinus inde nascerentur? Cùm autem talia fieri diuina Maiestas voluit, scit eadem ita disponere omnia, & præparare absque vllo damno, & impedimento, vt facilè appareat; opus illud diuinum esse, non humanum. Sic Antiochenæ illi Virgini accidit, de qua refert Sanctus Ambrosius, cùm ipsa sacrificatura esset, extitisse militem, qui mutato vestitu exposuit se se periculo, ipsamque virginem eripuit morti, & iniurijs, quæ corpori ipsius parabantur. Refertque Palladius simile quiddam de virgine alia, quam ipse, patriamque eius minimè nominat. Itaque considerandum est, diuinas res certa quadam occulta, & arcana commeare lege, ita remota à mortalium consilijs, vt aliquo modo tamen diuinos illos conijcere mores possimus; qua deinde coniectura licet nobis progredi longiùs in consilio capiendo, rerumque earum executione, quas alioqui neque exequi, neque cogitare deberemus.*

D 15. Feb. Metaphr. apud Sur.
E 1. Ianuarij Metaphr. apud Sur.
F Iacob Diac. Tom. 5. apud Sur.
G Metaphrast. Tom. 6. apud Sur.
Petrus de Natali in Cathalog. lib. 6. c. 112.
Siluanus Razzius Tom. 5.

A Explanatione in caput 21. Deuter. Scribens ad Ireneum.
B Canone 13. To. 1. Cōcil.
C 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 3.

Lib. 2. de Virg.

In Hist. SS. Patr. cap. 149.

DE

## DE PROVIDA STVLTITIA.

### Caput XIII.



*IDETVR autem summus, grauissimusque fuisse conatus eorum, qui vt occultarent magnam suam, altamque perfectionem, simulauere mores absurdos, cùm sapientissimi essent, & cùm excellerent multiplici scientia, finxere se se indoctos; cùmque perfectissimè fruerentur rationis bono; ità egere, tamquam è potestate mentis deiecti essent. Ex hoc autem numero, atque ex hac doctæ ignorantiæ, sapientisque stultitiæ classe duo varijs orti temporibus extitere. Primus autem eorum fuit Simon Salenensis, de quo multa Leontius Episcopus in ipsius vita tradit; atque inter cætera, quæ notari oportet, illud admirabile in primis videtur, quòd viginti nouem annos ille in solitudine mansit, antequam stultitiam simulare aggrederetur. Non enim puerile negotium est ea simulatio; atque in ipsa simulatione stultitiæ adhibebat ille mirificam artem. Nam quotiescumque miraculum aliquod patrauisset, fugiebat inde, donec miraculum illud obliuioni daretur; ac præterea inusitati aliquid protinus faciebat, vt statim homines animum, & cogitationem illuc conuerterent, atque ità miraculum tegeretur. Tempore autem ipso, quo tale vitæ genus elegit, domitas habebat animi perturbationes, ac propè sensum omnem amiserat. Ac semel ingres-*

Simon Salenensis.

*ingressus nudo corpore in balneum, in quo pleraque fœminæ erant, dixit postea membra sua fuisse lignea, itemque membra cæterorum lignea sibi visa esse. Alter verò haud procul à temporum nostrorum memoria fuit Iacobonus nomine, Tudertinus patria, cuius hominis admiranda scripta sunt in ipsius vita; extantque nonnulli ab eo conditi versus, quos ego cùm legerem, ità statui, quiduis aliud inesse carminibus illis, quàm stultitiam, & furorem. Cùm ego studiorum causa tenera satis ætate Bononiæ agerem, incidi in eum Librum, quem cùm ex hominum memoria penitus excidisse arbitrarer, vidi magna cum animi mei iucunditate emendatum, & auctum, & explicatum, ac denique meliore forma, & ordine compositum. Ad eius igitur Libri disciplinam poterunt confugere illi præsertim, quibus insita est vana gloriæ cupiditas, quive magnam sibi famam concupiuere. His duobus similis fuisse videtur senex ille nomine Baptista, natione Senonensis, qui rerum omnium egens, atque seminudus per compita vagabatur, omnibusque contemptui erat. Prædixit iste imminentem Urbi Romæ direptionem eodem spiritu, quo Simon Salensis prædixerat fore, vt apud Orientem Solem terra concuteretur. Vaticinatio autem illa senis Baptistæ palam, & publicè facta est in maximo Populi Romani concursu, cùm Litteræ in Cœna Domini recitarentur. Cùmque stultitiam talia vaticinantis vulgò homines increparent; aiebat, non stultitia se, sed Diuino iussu prædicere illa, & concionari. Proximo inde Paschatis die, cùm iactaret eadem, obtestareturque vniuersos, vt peccare*

Iacobonus.

Ex collect. rerum memorab.

Nn desi-

*desinerent, atque redirent ad Deum; vincula ei, tanquam phanatico iniecta sunt. Quod cùm fieret, aiebat ille, breuissimi temporis illam fore captiuitatem, sicuti breuis vtique fuit. Paucis namque post diebus, secuta direptione Urbis, Uates est dimissus. Hæc accidere anno millesimo quinquagesimo vigesimo septimo.*

## DE DVOBVS, QVI ÆTATE NOSTRA stulti habiti sunt.

### Caput XIV.



*EMPORE, quo ego factus sum Cardinalis, Romæ cognoui duos, qui valdè diuerso spiritu erant, licet spiritus eorum esse vnus videretur, eorumque imagines, sicut etiam imago Iacoboni conseruantur in Bibliotheca Ambrosiana. Priori nomen*

Litteratus. *fuit Litterato, eique studium erat, colligere dispersos per vias pueros, tantùmque in ea re profecit, vt pararet publicè ædes ad ætatis illius hospitium, atque educationem; manetque etiam hodie illud laudabile institutum. Is homo domi nostræ mortuus est, cùm eò delatus esset æger; manenteque spiritu ardentissimo charitatis etiam morbi tempore, post aliquot dies diem obijt, & funus magno Populi concursu celebratum est. Alterum fratrem Philippum nominauere, isque verbis, & factis planè mente captus videbatur, cùm prior*

Philippus. *imminuta tantùm paulisper mente videretur. Philippus*

*lippus iste contemplationi deditus, eùm multas horas in Templo consumens reperiretur, vltrò absurda quædam pronunciabat. Obijt diem suum in summa rerum omnium inopia.*

## DE VERA STVLTITIA OPTATA nonnullis, & impetrata.

### Cap. X V.



*VOD si vlterius adhuc progredi velimus in rerum earum consideratione, quæ tractantur, memorabile erit illud; quod per hosce annos accidit mulieri sanctæ, quæ iam ex hac vita discessit. Ea cùm puellaribus adhuc annis in ipso spiritus feruore immoderatè ferretur, petijt à Deo, vt è mentis potestate deijceretur; vt scilicet contemptui omnibus esse posset. Post aliquot igitur dies voti compos facta, re vera insanire cœpit; sed ità tamen, vt dilucida interualla mens eius haberet. Atque per ea interualla redibat ad se, itaue summa cum pietate peccata confiteretur, sanctissimumque Christi Corpus sumeret. Tunc excusabat calamitatem suam apud Gregales, quòd molesta illis fuisset; de diuinis rebus agebat semper, ac probè intelligebat diuino nutu fieri, vt sic insaniret. Aliquando autem ea in sermone familiari sic dixit nonnemini, cui magnam omnium rerum fidem habebat; Non sunt à Deo petenda dura quædam, ne si obti-*

*nueri-*

*nuerimus, infirmitas postea nostræ mentis succumbat. Cùm mors appropinquaret, perfectissimè rediit ad se, ac summa cum religione diem suum obiit, itaut corpus eius multò pulchrius consp iceretur, quàm in vita fuerat. Sanè ego quoque sentio cum sancta illa anima non esse dura hæc à Deo petenda, licet nonnulla fortasse in contrarium adduci exempla possint. Nam legitur apud Climacum, fuisse quosdam inter pœnitentes illos, qui peterent à Deo, vt vel incursu Dæmonum infestarentur, vel inciderent in morbos, vel in paralysim, vel oculos amitterent, vel miserabile spectaculum fierent alio modo, dum alterius vitæ supplicia effugerent. Et quamquam periculosum est, petere sibi tales ærumnas, minimè tamen dubitari potest, quin gloria futura sit ingens eorum in altera vita, qui talia fecere. Aitque Gregorius Nazianzenus, Iulianum Apostatam inuidisse Martyrum gloriæ, atque ideò conatum fuisse offendere dissimulanter eos, subditque Gregorius idem; Nos verò libenter aquiescimus, vt nimirum supplicia habeamus, & careamus honore, qui Martyribus debetur. Talibus animis comparari posse videntur peregrini isti spiritus, de quibus agimus, qui sancti ignoti, & sine gloria, Martyres, & sine victoria, Triumphales appellari quodammodo possent. Atque in talibus rebus elucet etiam singularis Dei bonitas, & misericordia, referamque talis misericordiæ recens exemplum. Fœmina sanctis prædita moribus, iuuenilibus annis in medio spiritus sui feruore petiit à Deo, vt amens fieret, quò magis contemneretur. Ei accidit, vt per septem hebdomadas*

Grad. 5.

Orat. 47. in Iulian.

*domadas perfecto rationis vsu careret, nihil tamen interea mali cogitatione, vel actione egit; tantùm proferebat verba, quæ malè cohærerent, ac sensu carerent. Interea mens illius meditatione diuinarum rerum assiduè occupabatur. Ac meminerat ipsa optimè talium rerum, postquam sana facta erat; nec ideò vitauit famæ damnum apud mortales, quamuis multos annos santissimè postea vixerit. Quòd autem hæc insaniæ genera non sint Dei Seruis causa malæ vllius actionis, confirmatur etiam Beatæ Coletæ exemplo, quam Stephanus Iuliacus ait, dum tali modo insaniret, visam esse sibi ferri per aera cœlum versus non sine aliqua animi iucunditate.* **Stephanus Iuliacus.**

## DE GRAVISSIMIS MORIENTIVM. tentationibus, & angustijs.

### Caput XVI.



*NTER pleraque inania vulgi, absurdus in primis ille sermo est, cùm de alicuius obitu ita narrat. Benè mortuus est, atque discessit ex hac vita pulli instar, trimulivè infantis. Si morientibus innocentia esset ea, quæ trimulorum infantum esse solet, optimè cum multis ageretur: sed plerisque longè secus accidit. Interdum verò contra sic ait: Fœdissimè se se contorquebat moriens, scitque Deus, quonam infelix illa anima migrarit. Hæc ita pronun-*

*ciata temeritate. quotidiani sermonis nihil veri, solidique habent, ac sicut antea dicebam, vulgi insanientis sermo eiusmodi est. Non sanè ego negauerim, terriculamenta obijci multis, qui flagitiosè vixerunt, solatiaq; rursus offerri alijs, quorum vita innocens fuit; sed id nego, signa ea in partem vtramque certa esse, constanterque affirmo, fallacißima argumenta esse, quæ ex quiete corporis, siue agitatione ad indicandam animi salutem, exitiumve petuntur.*

Agitationes ex corporis temperamento.

*Agitationes, & furores isti morientium, licèt non semper, certè sæpè proficiscuntur ab sola naturali corporis conditione, & temperamento. Ideò, in iuuenum morte cernentur magis, quàm in senum; robustique magis, quàm infirmi, & melancholici magis, quàm hilares in extrema illa hora se se contorquebunt, vultusque fœdiores induent. Spectatur id in iuuenum obitu, quia spiritus animales copiosè adsunt ætati illi, eaque spirituum copia maiore doloris sensu dissoluitur, discessusque animi à corpore violentior ibi est, quàm in senum morte. Atque veras talium rerum ex natura causas leuiter attingendo, & speculando, ita vtique reperimus, non perturbatione animi sed coagmentatione corporis accidere plerumque ea, cùm hominum vita dissoluitur. Nam atræ bilis abundantia multos dare inusitatos motus potest. Tum vehemens aliqua imaginatio morientium, & ad aliquam rem fortis applicatio animi, vim terrificam habebit. Præteriti insuper, vicinique timores percutiendo animum, altèque hærendo, quasdam ibi reliquias spargunt, vnde motus isti orientur etiam, vbi non erit integris sensibus æger,*

& exie-

*& exierit è potestate mentis. Praeterea vis acerrima doloris intestini turbabit ægrotum, qui interim nec manifestare poterit eum dolorem, nec fortasse apud se erit, tuncque sic affectus homo, simillimus erit brutis animantibus, cùm ratione, qua bestiæ carent, vti nequeat vi morbi impeditus. Sed præter extrinseca hæc turbamenta animi corripiuntur ægroti turbamentis alijs interioribus, tunc cùm sensuum, rationisque vsus integer manet. Nullum inuenire potui memorabilius, illustriusque exemplum eò, quod Alexandri Farnesij Parmæ Ducis vxor fœmina inclytæ pietatis moriens reliquit, eiusque obitus cum fide, & cura perscriptus extat. Res sanè mirificæ de Matrona eius morte traduntur, quam & vixisse sanctissimè constat, & portum attigisse salutis magnoperè speramus, temerariumque fermè esset de eius fine secus opinari. Mirificarum earum rerum, casusque inusitati rationes examinare lubet; atque hæc tota nostra consideratio tum intra naturæ fines consistet, tum attinget etiam ea, quæ supra naturam sunt. Sunt quidam natura timidi, quidam etiam cùm tales naturâ non essent, ob casus fortasse, timoresque aliquos, id vitium, eumque habitum hausere. Alij etiam non solùm timidi, sed crudeles sunt, & certo naturæ impetu mouentur. Fieri potest insuper, vt imaginatio ægroti vacillet, vel ante morbum læsa, vel post morbum. Dæmones item incitant, augentque timorem, sicut in Diui Martini obitu accidisse credibile est. Diuino demum nutu interdum ad aliorum exemplum, disciplinamque accidit, sicut & in Farnesia huius, & antiquitus in*

Agitationes intrinsecæ animi.

Farnesiæ Matronæ exemplum. Razzius Vol. 4.

San-

Perturbationũ eiusmodi vtilitas.

*Sancti Hilarionis obitu euenisse arbitramur. Perturbationes etiam istæ purgant animum, suntque salutiferæ ægrotis eo ipso, quia timore ad virtutem excitantur homines, eamque ob causam extremi Iudicij temporibus horrenda quadam signa multos mortales, qui tunc erunt, ad veram pœnitentiam eraducent. Sed quia iustum est, eos, qui flagitiosè vixerunt, maximis in extrema illa hora timoribus vexari, ideò pro certo habendum est, talium animos inter moriendum summo horrore perfundi, vel propter anteactæ vitæ recordationem, vel propter visiones tremendas, atque inopinatas, cuiusmodi vnam hoc loco referemus; tum vt bonis solatio sit, tum vt horrori improbis. Narrationem hanc totam accepimus ex Codice manuscripto auctoritatis minimè dubiæ, quo Beatæ Andreæ cognomento Columbæ vita narratur, cuius nos quoque gesta, & dicta Libro vno separatim descripsimus. Hac igitur Diuina mulier, cùm in preces effusa Deum obsecraret, vt venia sibi culparum suarum daretur, magnoq; timore consternata iaceret propter impetrandæ veniæ dubitationem, cælesti mox suauitate perfusa alienatur à sensibus, videtque agentem animam virginem vnam, cui Dæmones circumfusi lectulo aderant variè insultantes. Eorum aliquis morienti virgini aiebat: corpus tibi licet virginale sit, non tamen mens, animusque virginalis. Alius: corpore tu quidem obediens fuisti maioribus, sed non voluntate. Alius: corpore prætulisti virtutem humilitatis, sed superba mens fuit. Alius: non ad Dei obsequium, sed ad humanæ gloriæ fastum retulisti religiosæ tuæ*

Beata Andrea.

vitæ

*vitæ merita, & virtutes. Ad ea Dæmonum dicta respondebat virgo, testabaturque falsò, se in singula capita accusari. At Dæmones, vbi inuictam sensere, coorti simul omnes, maiore impetu labes singulas exprobrabant. Tunc virgo veluti spe salutis suæ desperata, amplius non respondebat, sed grauissimis conflictabatur doloribus, miserèque torquebatur. Angelus eius animæ Custos discrimen adeo graue cernens, magno cum mœrore Sanctos omnes obsecrabat; vt ei animæ subsidio essent. Saluatorem obsecrauere Sancti, vt miseræ ferret opem. Respondit Saluator; ne horam quidem vnam ista toto vitæ suæ spatio ita collectas habuit omnes animi partes, vt ibi conquiescere posset, sed rerum humanarum curis nimium intentus animus fuit. Hoc accepto responso Sancti vnà cum Deipara Virgine nouas pro anima illa preces habent, quibus motus denique Saluator Sanctis omnibus innuit, vt virginis moribundæ patrocinium aduersus Dæmones capescerent; remque aggressi illi, magnam dimicationem, certamenque sustinuere. Vrgebant Dæmones, aiebantque; virginem illam quidquid piè fecisset, amoris humani, non diuini causa fecisse, ideoque animam ad Tartari iura pertinere. Sancti superiores erant, tum merita Christi Passionis opponendo, tum virginis ipsius in extrema illa hora patientiam, roburque demonstrando. Ita periclitantem animam è manibus Dæmonum extorsere. Mox Sanctorum illorum vnus ad virginem Columbam obuersus ait. Dicis tu filia, timere te, ne mortis tempore peccata tibi non condonentur? At moneo ego, vti cul-*

*pas tuas piè confitearis omnes, dein piacula iniuncta peragas, constantique sis fide; atque ita, sicut aqua extinguit ignem, peccata tua restincta manebunt. Quoties videris animam aliquam in extrema hora conflictari, ne ideo de illius salute desperaueris. Virginem vidisti hanc in tanto versantem angore, quæ tamen ferendo, & sustinendo, salutem impetrauit. Si ad clementiam Saluatoris ipsa confugisset, orassetque eundem per Passionis suæ merita, id pœnarum genus nequaquam experta esset. Hæc vbi dicta fuerunt, euanuere omnia, Columbæque spiritus suum corpus repetijt.*

## DE SANCTITATE INFANTVM nonnullorum.

### Caput XVII.



*UNC ab humanæ vitæ extremis, hoc est, à morte redeundo ad eiusdem vitæ principia, puerilemque ætatem, dicimus; hanc quoque genus quoddam esse sanctitatis occultum ferè, & ignotum. Constat enim, inuentos aliquando puerulos fuisse, qui supra fidem hominum, sanctissimè vitam agendo, magnitudinem spiritus, quem nacti erant, tenera illa ætate, & membrorum suorum infantia occultarent.*

Cyprianus Martyr.

*Sanctus certè Martyr Cyprianus Epistola decima scribit, multa se discere solitum ex puerulis quibusdam ecstaticis, eiusque verba subijcere minimè alienum puta-*

*putamus*; Castigare nos itaque diuina censura nec noctibus desinit, nec diebus: præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu Sancto puerorum innocens ætas, quæ in ecstasi videt oculis, & audit, & loquitur ea, quibus nos Dominus monere, & instruere dignatur. *Qui sanè locus indicat, participem quidem fuisse Martyrem cælestium visionum, atque reuelationum, sicut octaua Epistola habemus; sed ita tamen, vt ad probandam, atq; periclitandam ipsius humilitatem, non manifestaret ei quædam alia Deus, vt scilicet eadem non ab maturæ ætatis hominibus, sed à paruulis pueris discere necesse haberet: Ac tanta fuit indulgentia æterni Numinis erga nonnullos eiusmodi puerulos, vt miracula etiam patrarent. Inter acta Sancti Valeriani Martyris Forôliuiensis, quæ manuscripta extant inter alios Bibliothecæ Ambrosianæ Codices, legitur, Sanctum eum Valerianum puerulum adhuc fugam iniecisse Dæmoni vni. De Exuberantio autem Episcopo Cingulano legimus in Codice manuscripto vetustissimo, Exuberantium eum decimo octauo die, postquam natus erat, vocem emisisse atque ita esse locutum: gratias tibi ago Iesu Christe, quòd mihi dederis, vt nasci possem. De Sancto Peregrino quin etiam Romani Scotiæ Regis filio memoria extat, eum, cùm Sacro Fonte ablueretur, postquam recitatæ de more precationes erant, respondisse,* Amen. *Atque in Templo maximo Tolentinate adseruantur acta manuscripta Beatissimi Caterui Martyris, qui temporibus Apostolicis, Fidei Misterijs imbutus fuisse scri-*

Valerianus Martyr.

Exuberantius Episcopus.

Peregrinus Scotiæ Regis filius.

*scribitur. De Sanctissimo hoc infante memoria extat, simul atq; natus fuisset, iunctis manibus, imaginem praebuisse adorantis Deum. Acta eiusmodi etiam, quae id referunt, in nostra Bibliotheca Ambrosiana custodiuntur. Caeterùm praecipua felicitate puellae fuere duae, quarum altera nomine Musa, Sancti Gregorij Dialogis inseritur. Hanc morientem Virgo Deipara ad Paradisi gaudia inuitauit. Ita fuit matura praemio, cùm nondum ad victoriam apta esset: coronata est, antequam pugnaret: vicit, antequam videret hostem. Puella altera septennis, cùm psallendi studio gestiret, obtulit ei se se Deipara per quietem, erudiuitque ita, vt rectè, atque expeditè legeret, cùm literam antea; Librumque nullum vidisset, idque ita Thomas Cantipratanus refert; Et magni nominis, auctoritatisque Scriptor Gregorius Turonensis de Sancti Confessoris tumulo ita scribit;* In Dolensi Biturigi termini vico Beatus Lusor, Leucadi quondam Senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrasse à seculo. *Eius tumuli inclyta fuit fama, puerique etiam sanctitas miraculis illustrata est. Vestis alba; quo verbo Gregorius vtitur, solemne gestamen fuit infantum, cum lustralibus aquis admouerentur. Argumento sunt eiusdem Gregorij Turonensis haec verba,* Baptizatus autem puer, quem Ignomerum vocitauerunt, in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis obijt. *Idipsum manifestè conijcitur ex Aimoino, qui Libro quarto de gestis Francorum, Capite primo, ita habet,* Theodeberti filium, in albis nouae regenerationis adhuc constitutum, notum

est

Gregor. libr. 4. Dialog. c. 18.

Puellae duae.

Thom. Cãtip. lib. 1. cap. 23.

Gregorius Turonensis, de Gloria Confess. c. 92.

Greg. Turonensis in Hist. Franc. libr. 2. c. 29.

est cum fratre innocentem exhalasse spiritum. *Manifestum porrò est, regenerationis nomine, apud Scriptores, nihil aliud, quàm Baptismum designari. Formulæ quoq; vocem, qua Gregorius Turonensis vtitur, video, nihil aliud esse, quàm scabellum humile; siue congenulatorium ad subleuandum aliquantisper laborem, quo flectentes genua, siue diù stantes fatigantur. Etiam cognitu iucundum in vita Henrici Susonensis refertur de Adolescentulo discipulo, cui nomen Chrysostomus; ei scilicet apparuisse Deiparam Virginem, & veluti gustandos lactis liquores præbuisse; eiusque rei visionem Henrico ipsi oblatam. Iam in puerulo quodam decem annorum, cui nomen Archippus erat, quis tantum fuisse sanctitatis credidisset? Refert de eo Metaphrastes, incredibili fuisse abstinentia; non pane, non cibo alio, qui gratior palato esset, nutriri solitum, sed ipsum coquentem sibi agrestes herbas etiam absque salis condimento; & semel tantùm in hebdomada, ad sedandam sitim, aquæ potum sed intra modum tamen adhibere consueuisse. Saccus puero gestamen erat, sacco incubabat, eique tam subtili lectulo lapides acuti substrati erant; capiti pro puluino vepres adhibebat. Non autem ita difficiles, & increduli nos sumus, vt nostra laboret fides in puerulo Acha, De cuius admirabili pietate, cùm annos quinque natus esset, Thomas idem Cantipatranus narrat. Promptum vnicuique fuerit, rem cognoscere, prout narrata est, Libro secundo, Capite vigesimo octauo. Sed si nostra hæc legens forte aliquis, proponi sibi pueri eius vitam cupiet, studio huius, ac voluntati satisfa-*

In Vita Hērici de Susone c.20

Chrysostomus.

Archippus.

Metaphrastes die 5. Septēb.

Pueruli Acha vita.

*tisfaciemus. Sub tempora ipsa Thomæ Cantipatrani, extitit in Belgio puer, qui statim vbi Minores Franciscanos adspexerat, exarsit incredibili studio vestem eam, habitumque vsurpandi. Neque puerili leuitate mouebatur; sed Ordinis institutum, legesque illico amplexus, ex ea disciplina vitam agebat. Nullos contrectare nummos volebat: pueros alios festis diebus erudiens in foro sedebat, atque ad eos de pœnis Inferorum, præmijsque Paradisi concionabatur. At domi, si quam parentum suorum vel in sermone quotidiano, vel in vestitu licentiam notasset, modestissimè reprehendebat. Cùm Matrem suam in purpurea veste aliquando adspexisset, monuit, vt nudum, ac rubentem sanguine Christum in Cruce contemplaretur. Talis hic puer nondum septimum annum attigerat, cùm in morbum incidit. Tunc peccata sua ritè confessus, Altaris mysteria poposcit. Cùmque ei diceretur, sanctis Ecclesiæ ritibus non esse tanti Sacramenti capacem illam ætatem; conuerso ab hominibus ad Deum sermone Puer ita est locutus. Nosti Domine pectoris mei flammam: te volui, te petij, teque vt haberem, omni mea ope connixus sum. Nunc magna mihi spes est, quòd aspectu, præsentiaque tua non priuabor. Hæc effatus, pauca insuper ad confirmandos, monendosque parentes aiebat, interimque anima illa cælestis ex corpore migrauit.*

FINIS.

## Errata sic Corrige.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 2. | lin. 16. | Melis | mellis |
| 6. | 7. | vita | vita |
| 13. | 17. | flagio | flagitio |
| 19. | 10. | Magumque | magnumque |
| | 25. | elefantum | elephantum |
| 22. | 1. | ona | Iona |
| 23. | 24. | eum | cum |
| 24. | 20. | ab eam | ob eam |
| 28. | 10. | iniquam | inquam |
| 36. | 18. | occasionum | occasionum |
| 61. | 1. | vita | vita |
| | 18. | contentas | concentus |
| 74. | 26. | ostondat | ostendat |
| 132. | 19. | eriginis | originis |

*Cætera leviora prudens lector emendabit.*

*REIMPRIMATUR.*

*Fr. Basilius Commiss. S. Officij Mediolani.*

*Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentiss. D. Cardinali Archiepiscopo.*

*Comes Maioragius pro Excell. Senatu &c.*

MEDIOLANI,

Apud Ludouicum Montiam
Typographum Venerandi Collegij
Ambrosiani.
1650.